DISPUTATIO
ſeu
JUDICIUM MEDICUM
DE
CEREVISIA NUMBURGENSI

Quod
Auxiliante DEO
&
Annuente Gratioſo Collegio Medico
In
ILLUSTRI ACADEMIA JENENSI,
Sub PRÆSIDIO

DN. JACOBI Wolff / Phil.
atque Med. Doct. & Academici
Curioſi,

Publico eruditorum examini commendat

JOH. RAPHAEL PRETTENUS,
Numburgenſ.

die 28. Junii, MDCLXXXIV.
horis locoque ſolitis.

JENÆ,
Stanno JOH. DAV. WERTHERI, Typogr. Duc.



I. N. S. S. T.

PROOEMIUM.



On solùm amor, quò Patriæ atq; veritati adstricti sumus, nos ad præsens hoc judicium depromendum permovit, sed etiam ipsius Cerealis potus Numburgensis boni ac laudabilis usus medicus suasit nobis vindicias moliri & amoliri malevolorum sive malè peritorum aut informatorum convitia vel effectus sinistros, quos de eo consignatos in quibusdam autoribus deprehendimus. Si verò Numburgensium cerevisiam, medicam vel potum medicatum, aut eruditorum nuncuparemus, nihil absurdi pronunciaremus, uti de hoc partim in *dissertatione de literatorum potu* mentem nostram uberiùs exposuimus & ex subsequentibus ulteriùs patebit. Si qui itaque non ipsimet degustarint illam cerevisiam, vel loci ipsius conditionis, morborumque illic obviorum gnari sint, ac relationibus subleſtâ fide, jocove nitentibus fidant, facillimè iidem falli aliosque iterum non minùs fallere possunt. Sic celebris quondam, (nec post fata inglorius *Herm. Conringius* & *Schefferus in dissertat. de introduction. ad Medicin. p. 228. & 233.* scribunt: Italos non posse veri quid de cerevisia tradere, cùm multi non degustarint illam. Propterea etiam *Cardanum (qui libr. 3. de tuenda sanitate c. 88.* vim calefaciendi cerevisiæ inesse scribit) tanquam hominem Italum in exploranda cerevisia minùs exercitatum statuit *Mart. Schookius de cerevisia c. 18. p. 173.* Idem hic autor pluribus in locis citati libri judicium suum de varia cerevi-

revisia suspendit, quia se experientiâ destitutum fatetur. Quid mirum itaquè, quòd, quia nationibus ejusmodi exteris non admodum nota est cerevisia, nulla cupido etiam & certitudo de eadem iis concessa sit; unde itidem dictæ nationes cerevisiam fortè à suis doliis & cellis vinariis gravi indictâ pœnâ proscripserunt, teste *Thom. Lansiô in Consult. 1. pro German. p 8.* Hinc laudatus autor etiam Italis perfectiorem gustum mentemque saniorem precatur. Rectiùs sentit de cereali potu *Joh. Manardus lib. 5. Epistol. 2. f. 64. (& lib. 17. Epist. 5. f. 456.)* inquiens: alioqui licet & ratio & antiquorum autoritas reprobare eos potus videantur, qui ex granis constant, ceu aspectu, odore, gustu etiam insuetis, quòd & mihi contigit, horribiles: experientia tamen docet, septentrionales homines, qui nihil ferè aliud bibunt, quàm cerevisiam, & pulcherrimos esse & saluberrimos & robustissimos. Convenit proinde etiam cum ratione monitum illud Galeni, quô innuit: neminem rectè scribere aliquid de natura locorũ & diversitate victus posse, nisi ut ratione didicerit, sic experimentis peregrinationeque comprobet. Meliùs itaque edocti nos de Numburgensis cerevisiæ facultatibus salubribus, silere vel suppressas illas sinere minùs ratum duximus. Nota quoque nobis sunt loca non nimis longè à Numburgo distantia, quæ, nescimus propter quas causas vel odia parciùs ad se cerevisiam illam advehi permittunt; quorum incolis tamen propter melancholicos aliosque endemios affectus oppidò salubris eadem esset, si ipsis suppeteret largiùs admissa vel advecta. Præterea cum hanc cerevisiam apprimè commodam & salubrem censeamus literatis & politioris conditionis aut fortunæ hominibus, quibus inprimis non admodum frequens corporis motus est concessus, de eadem subsequens judicium, inter alias causas, concepimus autoritate non suspectâ sanisque rationibus nitentes. Hoc itaque ut cedat in DEI maximi gloriam, proximi commodum, & literatorum gratiam à nobis exoptatam, denique vovemus atque contendimus.

JUDI-

JUDICIUM DE CEREVISIA NUMBURGENSI.

§. 1.

CErevisia per συνκοπὴν *Cervisia* dicitur à Cerere, id est frugibus, præcipuè verò hordeo, tritico, avena &c. quæ eandem ingrediuntur juxta Philologorum quorundam (non ineptam uti arbitramur) intentionem. Quòd verò partim ex Latino, partim ex Gallico sermone conflatum sit hoc vocabulum, cùm Latini integræ illius vocis olim ignari fuerint, credimus laudato *Conringio & Scheffero l. c. p. 232.* Nos prolixitati jam parcentes non excurremus in alias dictæ vocis origines aut etymologiam, de qua si lubet videri potest *Ger. Joan. Vossius in Etymolog. f. 277.* Sunt qui putant arvisia vina, ab arvo dicta, poni pro cerevisia à *Virgilio Ecclog. 5. v. 5.* ita canens:

Vina novum fundam calathis arvisia nectar.

Rectiùs autem *Cervisiam*, quàm *Cerevisiam* scribi vult *Mart. Schokius de cervisia c. 1. p. 2.* Solam hanc scriptionem etiam consignat *Jos. Laurentius in Amalthea onomastica f. 127.* Dici etiam vel poni *Cervisium* indicat *Ambr. Calepinus in dictionar. f. m. 175.*

§. 2. De Cerevisiæ synonymis non erimus prolixè soliciti: *Plinius l. 22. c. 25.* ex frugibus, ait, fiunt potus Zythum in Ægypto, cælia & ceria in Hispania, cerevisia & plura genera in Gallia aliisque provinciis. Vox *Beræ* etiam in usu est quibusdam, juxta *Remb. Dodonæum in histor. stirp. pempt. 4. l 1. c. 22. f. 495.* Germanis dicitur Bier/ & juxta Saxonum pronunciationem Beer/ à quo nomine aliarum nationum quarundam nomina eundem potum exprimentia non multùm recedunt, uti ex autoribus de cerevisia occupatis facilè cuique patebit. Porrò quod hujusmodi potum autores Græcis labiis exponant vel appellent πῖνον, βρῦτον, παραβίνη, ζύθον ἢ ζῆθον, φῦκαι, φουκάδων ἢ φουκάδιον ex laudati *Dodonæi l. c. Jac. Theodor. Tabernæmontani lib. 1. c. 20. f. 661.* aliorumque autorum locis pluribus constat.

§. 3

§. 3. Non contenti sunt his vocibus alii, sed brevi descriptione etiam indicant cerevisiam ob varios respectus, scilicet ingredientia, effectus, colorem aut similia adjuncta. Sic *Schokius in tractatu citato* sæpe illum potum cerealem nuncupat. Hordeaceo potu exprimit eam *Joh. Barclajus in Icone animorum c. 5.* Triticeum potum vel cerevisiam quampiam Weiß-Bier/ (ad differentiam magis nigricantis illius ex hordeo paratæ) crebrò etiam dici, non ignotum est. Inter alias appellationes, *septentrionalium nectar* quandoque audit cerevisia, quia eadem potio populis his loco vini inservit, uti vinum calidorum locorum potum magis constituit; atque ideò forte horum locorum populis illius imperitia & odium oritur. Minùs propriè verò videtur cerevisia appellari potus iste ex arborum succis confectus, cujus mentio fit in *Actis Philos. Anglicanis Ann. 1669. p. 118.* &c.

§ 4. Non malè etiam cerevisia vini vicarius vel substitutus potus dicitur, quod Poëta quispiam intendit his vernaculæ verbis:

Des Weines *Substitut*
Ist auch zuweilen gut.

Sic olim propter vicariam hanc vini opem à cerevisia expectandam, illam οἶνον ἐκ κριθῆς vel κρίθινον dictam fuisse meminimus in *dissertat. de literatorum potu c. 2. §. 20.* de quo plura testimonia innotescunt ex *Dodonæi l. c. Dan. Sennerti Institut. lib. 4. part. 1. c. 4. p. 858.* &c. *Conringii l. a. p. 232. Mart. Kergeri de fermentat. p. 219. Casp. Barthii l. 11. Adversar. c. 32. Casp. Hoffmanni instit. med. l. 5. c. 27. Joh. Anton. Lindeni sel. med. ex. 6. §. 9.* & ex Beat. *Guern. Rolfincii ord. & method. med. special. l. 2. s. 3. c. 77. p. 142. & lib. 14. s. 1. c. 25. p. 997.* Quibusdam in locis etiam cerevisia propter certas quaspiam sibi concessas operationes, conditiones, attributa, vel causas modò bona modò mala & ridicula nacta continet epitheta, de quibus *Tabor de jure cerevis. c. 1. §. 7. Schookius l. a. cap. 50. p. 424.* &c. *Besoldus in thesaur. pract. in voce* Bierbrauen. *Sim. Pauli in quadrip. Botan. p. 379.* aliique plures autores evolvi possunt.

§. 5. Non malè aliàs cerevisiam describit *Helmontius in Imag. ferment. impraegnant. massam semin. §. 2.* quod sit fumen, liquamen aut consummatum jus granorum. Nobis autem placet sequenti modo illam paulò prolixiùs describere. *Cerevisia est potus ex frugibus praecipuè, certâ ratione in polentam redactis, atque additâ aquâ, & quidem modò sine, modò cum lupo salictario aliisve rebus amaricantibus, intercedente coctione, fermentatione aliisque requisitis operationibus adhibitis paratus.*

§. 6. Nobis non est animus de cerevisia in genere disserere, de qua nonnulli autores peculiares tractatus ediderunt; veluti nonnullorum eorundem in subsequentibus nos mentionem inseremus; alii plures de eadem & Zytho peculiariter itidem agentes, patebunt ex *Coringii l. c. Martini Lipenii Bibliothec. medica f. 89.* & *Joh. Ant. Lindenii de scriptis Medicis p. m. 674.* De origine Zythi & cerevisiae, quae scilicet loca natalia, autores vel inventores agnoscant, supersedemus anxiè inquirere, cùm ex modò dictis scriptoribus abundè certiores reddi possint, qui volunt; quemadmodum nonnihil etiam de eodem *dissertatio nostra de literator. potu c. 2. §. 22.* suppeditat. Studium nostrum verò jam solùm occupatum erit de Numburgensi cerevisia. Interim non admodum ignotam putamus urbem illam *Numburgum* dictam, quae tribus milliaribus distat ab hac nostra vinifera Musarumque politissima sede; & quidem prope Salam, nec procul ab eo loco, ubi dictus fluvius absorbet flumen Onstrudum. Utrum verò urbs illa ad Misniae vel Thuringiae tractum rectiùs referenda sit, aut quam Etymologiam appellatio ipsius agnoscat: an scilicet *Naum* vel *Nauburgum*, *Neoburgum*, vel νεόπυργος meliùs (de quo *Joh. Mich. Dilherrus tom. 1. dissert. Acad. 1. p. 7.*) dicatur à nova turri, arce, vel munito loco; aut an concinnè magis *Novemburgum*, à totidem montibus aut munitis locis, turribusve, quae non nimis procul ab urbe hac sitae olim numeratae fuerunt; veluti quaepiam loca ejusmodi etiamnum hodiè vocem Burg / praefixô nomine vel epithetô

quo-

quopiam gerunt, scilicet: Schönburg/Altenburg/Freyburg &c. horum inquam etymologiam & accuratam notitiam in præsenti non evolvemus; sed promittimus nobis de his & aliis laudatæ urbis certitudinem majorem ex desideratis *Chronicis Numburgensibus maximè Reverendi Dn. M. Joh. Zaderi, Cathedralis Ecclesiæ Numburgensis Pastoris,* (aliquando edendis, quæ in scriniis apud eundem inedita adhuc asservantur) atque interim litem hanc eidem aliisque peritis historicis dirimendam relinquimus. Inter alias dotes verò quibus natura benigna urbem illam instruxit, non est infima vel silentiô sepelienda ea, quam in ipsius cerevisia salubri depositam deprehendimus.

§. 7. Quod attinet ingredientia dictæ cerevisiæ, continetur inter illa hordeum, nec adeo triticum, quod hordeô calidiores & vini magis æmulos effectus, uti & obstructiones majores aliaque mala plura procurare videtur; præcipuè si cerevisia ex eo parata lupuli floribus destituta, & nimis spissa, nec aquâ multùm diluta existat: sicuti dictorum reatuum participem talismodi cerevisiam triticeam & Breihanum inprimis declararunt autores à nobis in *dissertat. de potu literatorum c. 2. §. 21.* allegati; & si placet præterea evolvi potest *Gothofr. Mœbius in institution. Medic. p. 521.* Triticeam cerevisiam tristitiæ cognomine indigitari & viscidiorem obstructionum parentem generare &c. ait Beat. *Guern. Rolfincius l. a.* & *Sennertus l. c. p. 859.* &c. Obstructiones parere illam docet itidem *Matth. Martini de morb. mesenterii.* De variis similibus & aliis malis cerevisiæ albæ conferatur quoque *Franc. Oswald. Grembsius in arbor. integr. & ruinos. hom. l. 3. c. 1. p. 464.* Dulci huic cerevisiæ alteram paratam ex hordeo & lupulo pariter, uti autores alii, etiam præfert *Greg. Horstius in instit. med. juxta hujus operum tom. 1. p. 367.* Præterea autor hic ibidem in diæta communi cerevisiam illam eligendam censet, quæ modicè nutrit, calefacit, aperit, urinam movet & omni flatulentia destituitur. Monemus autem circa dicta attributa vel postulata, quòd si cerevisia alvum quoque mode-

moderate laxet, magnam bonitatis partem adimpleat; unde flatus non omnes ab eadem abesse possunt. Si enim in purgantibus quispiam reformidaret aut declinare vellet omnes flatus, iis nunquam uti deberet: siquidem dicta causa flatuum à purgantibus vix separari potest. Commune quoque fere attributum illud aliàs est cerevisiæ è frugibus confectæ, uti in schola Salernitana inter alia id etiam de cerevisia indicatur c. *46*.

Provocat urinam, ventrem quoque mollit & inflat.

Virtus illa autem in vitium verti, & augeri potest iste effectus, si hordeum, hujus præparatio, aut aliæ operationes & requisita in cerevisiæ coctione non ritè habeant. Malè insimul comparata est cerevisia, quò propiùs ad vini qualitates & operationes accedit, nec secedit promptè cum alvi scybalis, horumque motum ex corpore promovet. Generosa autem cerevisia sitim non benè sedat, faciei ruborem ac pustulas, aliaque mala plura, metuenda aliàs à vino excitat, quæ in *differt. de literator. potu* attigimus. Similes effectus potui cerevisiæ Hamburgensis largiori (licet eadem propter alias proprietates bonas laudetur) tribuit *Jac. Theod. Tabernæmontanus l. c. p. 662.* Sed rubor ejusmodi faciei non adeò à Numburgensi cereali potu metuendus, quàm ipsius medela potiùs expectanda est. Labem autem ejusmodi memoratam aliis in locis à simili cerevisia forti, vel vino, aliove potu spirituoso obviam subinde observamus.

§. 8. Indulgebimus parumper ipsius cerevisiæ præparationi: postquam verò hordeum maceratum fuit aquâ per biduum circiter, aquâ illâ demptâ hordeum in vase quopiam conservatur ulterius per biduum aut triduum, quousque ad fermentandum, crescendum aut progerminandum aptum reddatur; hinc istud in area quapiam coacervatum aliquandiu collocatur ac postea extenditur ad spithamæ altitudinem, usque dum germinare quadantenus incipiat; postea brasium vel maltum consequenter confit mediante ignis moderatô gradu, & quidem interpositô pannô setaceô. Bra-

sium verò hoc melioris conditionis existit, quàm illud, quod igne nimium fuit tostum aut ustum, de cujus malis non nulla habet *Justus Stengelius* in der bewehrten Bier-Kunst c. 1. Præterea plurimorum autorum testimonio non tantæ bonitatis creditur maltum, quod ignem planè non fuit expertum, sed solùm aëri vel Solis radiis expositum confectum fuit. Quod verò brasium hoc sine igne paratum sanitati minùs conferat in potu vel cerevisia, colligere licet inter alios ex *Helmontio de victus regimine §. 23. B. Rolfincio l. c. p. 143. Mœbio l. a. p. 520. & 521. Sennerto instit. Med. l 4. part. 1. c. 4. p. 860.* aliorumque autorum libris de cerevisia conscriptis. Miramur proinde *Joh. Rud. Glauberum in oper. chymicor. continuatione in particula :* Teutschlands Wohlfahrt *p. m. 363.* quòd ultimum hoc brasium, vel quod in furno pistorio tostum fuit, præstantius pronunciet illô à nobis laudatô, atque hoc pariter nobiscum pauci fortè pluribus de causis admiserint. Porrò ex brasio illo (priùs agitato vel cylindro quadantenus quassato ut fibræ ab hordeo, quod germinavit priùs, secedant) molaris ope fit polenta more solitô leviter fracta; hæc postea cum aqua calidia per trihorium antea cocta miscetur, & à servis vel operariis pluribus (peculiariter hisce operationibus destinatis, ac singulis annis juramentô repetitô adstrictis) per horam probè contis movetur & agitatur, ac deinde in vase tecto aliquandiu ista mistura adservatur, usque ad reliquam materiam recipiendam & operationes sufferendas. Posthæc alia aqua in aheno usitato capaci per duas ac dimidiam horas cocta affunditur itidem priori misturæ, quæ iterum probè movetur, more antea memorato, ac deinde quies ipsi iterum conceditur, usque quo consideat crassa polentæ materia; ubi tunc superior quæpiam portio, seu flos ab illo liquore demitur, atque binâ vice (priùs quidem per quinque ac postea per sesqui horam) cum lupulo exactè denuò coquitur. Atque sic peractâ eâ coctione liquor lupulô conditus cum reliquo illo penitùs à polenta & fecibus demendo miscetur invicem in alio capaci vase peculiari.

fiari. Deinde nova aqua calida polentæ ac fœculentæ illi materiæ priùs quadantenus exhaustæ affunditur, eaq; post motum aliqualem præmissum, & quietem postea admissam, detrahitur ac iterum per bihorium coquitur, nec non cum duobus illis prioribus antea junctis liquoribus miscetur; quâ ratione optimæ prior cerevisiæ præparatio, usque ad secundariæ coctionem posteriorem, absoluta est. Nonnulla de bonitate, parandi modô, atque constitutionibus vel legibus de Numburgensi Cerevisiâ occupatis prostant in *dissertatione Juridica de Braxatione Jenæ 1671. sub Præsidio Chr. Phil. Richteri edita à nostro Conterraneo Joh. Ad. Haynio.*

§. 9. Deinde pro dicto cereali liquore lupuli salictarii flores circa Numburgum atque in confinibus locis cultos recipiunt, nec ex remotis locis, scilicet Bohemia &c. sumptibus majoribus advectos; atque eos flores, si non erramus, commodos magis, & propter nostrorum locorum indolem, sanitati magis congruos credimus, quàm remotis in locis collectos. Hinc miramur, cur loca quædam Misniæ spernant sui lupuli inquilini flores; cum tamen auctâ illius quantitate vires ejusdem paulò debiliores suppleri possint, si quis amaritiem majorem expeteret, & conducibilem in diæta censeret. Communiter verò lupuli mediocris portio pro Numburgensi cerevisia recipitur; nec errant fortè Zythepsæ diutius coquentes lupulum, quô ipsô cruda & invisa ipsius amarities domatur, & dulcescit magis, nec tantas vires medicas retinet, quales alia subinde cerevisia continet; & quidem vel à nimia inquilini lupuli copia, vel Bohemico magis amaricante, vel si parcè nimis uterque coquatur. Solet itidem aliàs non rarò pro cerevisia, quæ diutiùs asservari per æstatem debet, vel major lupuli portio recipi, vel mitiùs ille coqui; ubi tamen coctionem sufficientem præferrem, licet major lupuli quantitas recipi deberet. Non sunt autem temnendarum virium flores lupuli dictô modô cerealem potum instruentes; siquidem illi incidendi, reserandi vel evacuandi, & à corruptione præservandi efficaciam imper-

tiunt cerevisiæ, unde evacuationes corporis variæ citiùs expectandæ, nec insignis facultas nutriendi ipsi accedit, uti quidem ex cerevisia dulci & crassa citiùs effectus ille emergit.

§. 10. *Conringius de habitu corpor. German. p. 79. & 107.* idem illud adstruit, quòd lupuli usus in cerevisiæ præparatione accitus nutritionem destruat; utut hoc non diffiteamur de aliis cerevisiæ generibus, præcipuè si admodum amaricent, id tamen de cereali potu Numburgensium minùs dici potest: utpote qui moderatâ portione lupuli conditus existit, & coctione magnam amaritudinis partem deponit. Loquitur præterea in eadem cerevisia effectus de causa, quòd tabes non admodum obvia observetur Numburgi; sed potiùs benè & moderatè nutriti, habituque corporis mediocri præditi inquilini plurimi deprehendantur. Imò recordamur illuc peregrinos graciles subinde devenisse ac municipes factos esse, eosque cerevisiam illam non aversantes, popas ac pinguem corporis habitum contraxisse. Cæterùm in *dissertatione nostra de obesitate exsuperante p. 55.* exposuimus mentem nostram, quòd corpulentiæ adiposæ atque carnosæ multum conferat mitis potus, vel cerevisiæ largior usus. Innuimus in *eadem dissertatione* quòd juxta quorundam sententiam panis cerevisiâ madidus crebrò assumptus pinguetudini comparandæ conferre credatur. Atque hoc non diffidimus expectatum iri citiùs à pane Numburgensi cerevisiâ ebrio. Præterea lactantibus mulieribus perbenè congruit illa cerevisia pro lactis uberi proventu, si in jusculis paulò frequentiùs aut largiùs assumatur: veluti hunc effectum citum & copiosum cerevisiæ omni in genere *Melch. Sebizius (de aliment. facult. l. 5. c. 3. p. 1150.)* recenti verò tribuit *Jac. Theodorus l. c. f. 464.* Quo in loco autor simul vini generosi ac sulphurati usum propè Rhenum nutricibus ac lactentibus infantibus admodum noxium statuit.

§. 11. *Mart. Schoockius de cerevis. c. 41. p. 368.* arbitratur à recenti cerevisia inprimis pinguedinem contrahi, quòd per Belgium non obscurè observetur, fidemque hujus faciant Zythepsæ, caupones, horumque uxores plerumque præpingues, ventricosæ & aqualiculô deformes. Forsitan iidem etiam, uti credibile, primitias obsoniorum, aut ciborum flores crebrò carpunt ac delibant, veluti insimul inter eos communiter bonam offam non malus vel parcus haustus excipit vel sequitur. Dum itaque hi potui ac cibo simul indulgent, & assvescunt; forsan ideò etiam iisdem moles corporis non coactè accedit: constat quippe quod illi prægustent sæpe cibos & hospitum mensæ accumbentium consortio, vel inviti subinde, interesse iisque propinare atque commendare suum potum cibosque soleant, unde postea non difficulter obesitatem illi contrahunt. Videtur tamen etiam reliqua cerevisia, etsi non sit recens, crebriùs ac liberius ingesta obesitati inservire, modo non illa lupuli quantitate excedente admodum amaricet, uti ex jam dictis & adhuc dicendis dispalescit. De eodem, & quòd amara aliàs non ita promptè inserviant nutritioni, egimus in *dissertat. de obesitate exsuperante p. 51.* &c. Sic *Hieron. Mercurialis in prælection. Bononiens. f. 426.* alii, inquit, plus potus egent, quàm cibi: à quo magis pinguescunt. Non multùm recedit ab hac opinione *Roderic. Fonseca de sanitat. tuend. c. 12.* nihil boni, ait, habet cerevisia, nisi quod pingues reddat ejus potatores. Forsitan etiam Bacchus aliàs non frustra popâ prominente pingitur, licet non à mero ita prompte, ac ab hordaceo vino seu cerevisia oriatur obesitas, uti in *dissertatione nostra de eadem conscripta* itidem indicavimus; in quam rem etiam adi sis nostram *disputationem de literatorum potu c. 2. §. 60.* Tacemus quòd Bacchi notus prominens ac turgidus venter potatoribus immodicis hydropicorum monstrosum habitum minetur ac præmonstret.

§. 12. Quoad amarorem verò, medium locum occupat Numburgensis inter Misniæ cerevisias aliquot magis u-

 sitatas

stitatas ac celebres, scilicet inter Wurtzensem & Eilenburgensem aut Torgaviensem; non enim nostra ita lupulô condita amaricat ac postremæ duæ, magis tamen saporem lupuli refert quàm prior, & quidem ideô, ac propter reliquam suam conditionem admodum temperata est dicta cerevisia: namque ordinarius & moderatus illius potus ac usus non turbat spiritus, nec in nutritione, uti dictum, temnendarum est virium. De postrema illa nutriendi potestate paulô post laus uberior innotescet ex *Jonstoni idea* aliisq; autoribus. Dicto nutritionis negotio in cereali potu Numburgensium non obstat etiam gemina illa vis evacuans isti indita, & adeo decantata, scilicet diuretica atque laxans alvum; de qua subsequentia in hac *nostra dissertatione* plura pariter indicabunt. Præter adductam experientiam de nutriendi facultate Numburgensi cerevisiæ concessa, nolumus quoque reticere encomium & testimonium *Joh. Placotomi de cerevisia p. 88. Neoburgensis cerevisia*, inquit, *in Thuringia celebratissima est, neque immeritò. Nam multum substantiæ habet, benè coquit, multum nutrit, calorem geminum auget, & nulla re, quæ ad bonæ cerevisiæ conditiones requiritur, caret.* Allegat hunc locum etiam de cerevisia Numburgensi *Petr. Albinus in commentar. Chronic. Misnens. p. 636.* atque eam inter laudabiles cerevisias Misniæ refert. Non reticet similes laudes *autor Curiosor. Medicor. pro tuenda valetudine p. 77.* Numburgensis, inquiens, in Thuringia præclara habetur, efficax est, & potenter roborat. Reliqua verba oculorum caliginem illi imputatam, & paulò post examinandam, unà attingunt.

§. 13. Non est, ut quis etiam lupulum moderatè receptum ac decenter coctum in illa nostra atque alia cerevisia reformidet, veluti in præcedenti *§. 9. & 10.* diximus; non dissvadent itidem penitùs nobis usum illius laudabilem testimonia quæpiam sinistra autorum in illum directa, quæ potius de lupuli copia, coctione illius insufficienti, aliisque circumstantiis nos intelligimus vel interpretamur. In qua sententia nobis etiam suffragatur locus citatus *Conringii p.*

232.

232. *Sic constat ex Camerarii Sylloge memorab. cent. 5. part. 90.* quod lupulo vis inducendi ebrietatem insit. Istam verò sententiam ab alio medico etiam conceptam, vel prolatam (quod lupulus cerevisiæ addatur, ut caput inde moveatur & voluntaria insania procuretur) impugnat *Schoockius l. a. cap. 11. p. 76.* &c. Quantumvis lupuli flores etiam vim quampiam pro laxanda alvo conferre vel largiri possint; frugibus tamen & aquæ inprimis in cerevisia Numburgensi efficacia sua dicta, & uberiùs exponenda tribuitur. Utrum lupuli foliis & floribus major vis purgandi accedat, si in ipsius solo circa radices hellebori aut tithymallorum copia crescat (veluti statuit *autor citatus l. a. p. 79.*) deliberent & experiantur curiosi. Cæterum de usu salubri lupuli modicè in cerevisiam recepti, & narcosi à quantitate ipsius exsuperante expectanda agit etiam *Sim. Pauli in quadrip. Botanic. p. 380.*

§. 14. Præterea inter cerevisiæ Numburgensis ingredientia præcipuum locum occupat aqua, veluti eadem aliorum naturalium & artificialium liquorum plurimam portionem constituit. Quòd alioquin cerevisiæ plurimæ bonitas potissima dependeat ab aqua, indicat *Joh. Henr. Meibomius de cerevisia c. 27. §. 2.* Aquam, ait, si potus salubris esse debet, optimam oportet eligere, visu nempe, gustu & olfactu puram ac sinceram. Nisi enim ea talis sit, cerevisia ipsa, quæ nihil aliud est, quàm aqua frumenti & lupuli florum viribus imprægnata, malæ aquæ qualitates plurimas retinebit; nec omnes coctura aut fermentatio emendabit. Suffragari his etiam videtur *Sennertus de scorbuto c. 4. p. 43.* qui cerevisiam, juscula & alia ex insalubri aqua parata scorbuto ansam subministrare scribit. A modò dictis non dissentit *Jac. Theodor. Tabernæmontanus in herbar. l. 1. c. 20. f. 661.* &c. Porrò citatus *Sennertus l. 4. part. 1. c. 4. p. 860.* hæc habet: Qui de natura alicujus cerevisiæ rectè judicare vult, inprimis aquæ, è qua coquitur, naturam diligenter æstimet. Hinc etiam peculiares proprietates nonnullarum cerevisiarum procul dubio ortum habent, ad quam rem tamen nonnihil coquendi

& pa-

& parandi modus facit. Abit non invitus in hanc sententiam (quòd scilicet coctione non tollantur insalubrium aquarum vitia) *Schoockius l. a. cap. 24. p. 242.* &c. Plura similia monita de hac re dedimus in *dissertat. de literat. potu c. 2. §. 16. & 17.*

§. 15. Paulò inferius inter cerevisiæ Numburgensis vires vel laudes audiemus, quòd à calculo tueatur eos, qui bibant illam, veluti hæc & aliæ efficaciæ plures, inprimis aquæ illius loci ab autoribus assignatur. Similem aliàs potestatem solvendi calculum inesse aquæ, quæ in specu Baumanniana scaturit, refert *Henr. Eckstormius de terræ motu p. 220.* Hujusmodi & aliis præconiis autorum minimè destituitur aqua Numburgi obvia; quam omninò cum aëre fraterno nexu (uti aliàs communiter ferè, ita & ibidem) sibi invicem juncto multum in illius loci salubrem conditionem suppeditare persuasum nobis habemus. Inter alia verò aquæ dictæ attributa, eandem vi laxandi alvum præditam esse, constat autore *Gothofr. Mœbio in instit. Med. p. 512. & 521.* Omnis autem aqua pro cerevisiæ Numburgensis basi ex puteis perennibus hauritur. Volunt quidam equidem, quòd putei quipiam in urbe illa contenti majori vi laxandi sint præditi, quàm alii; de quo tamen nihil certi nobis innotuit, vix autem magnum discrimen inter eosdem intercedere credimus. De aliorum locorum verò diversis aquis vel puteis fidem faciunt autorum varia testimonia. Sic Brunopoli notam illam cerevisiam, Mumiam dictam, non nisi in certis quibusdam officinis cerevisiariis coqui ac parari posse fide digni annotant autores; idque fontium diversam rationem arguit. Interim non est dubium, quin præter insitam facultatem laxantem, major quadantenus facultas eadem in alia cerevisia quandoque, quàm in alia Numburgensi appareat; prout ingredientia, coctio, fermentatio vel alia adminicula ad illam operationem promptiora interdum accedunt; sic pro hominum diversa conditione, uti in purgantibus aliàs innotescit, alter alterô etiam citiùs alvum laxam ab eadem contrahet.

§. 16.

§. 16. Insuper tamen illud quoque verum est, quòd non alio in loco Numburgensem cerevisiam sistere vel æmulari valuerint; etiamsi braxatores ex eadem urbe, parem coquendi modum & ingredientia adhibuerint; & uti quidam innuunt, vel aquam etiam Numburgo ad alia loca pro eadem conficienda devexerint. *Justus Stengelius* in der bewehrten Bier-Kunst *c. 1.* inter alia de cerevisia statuit quinque attributa requiri ad bonam quampiam cerevisiam: scilicet bonum lupulum, polentam minùs taxandam, aquam vitiô vel culpa carentem, cœlum & aërem benignum, ac tandem Zythepsam peritum ac attentum. Idem autor ibidem etiam concludit, quòd non solùm ratione loci sed etiam aëris & aquæ præcipuè tot ac tam diversæ cerevisiæ species passim coquantur: unde etiam Numburgi Torgaviensem, aut Torgaviæ Numburgensem cerevisiam coqui non potuisse perhibet. Quod an utrovis in loco tentatum sit ignoramus; non tamen de utroque irrito successu dubitamus. Idem hoc de aliis cerevisiæ speciebus alios autores etiam conqueri vel annotare, intelligimus ex eorundem lectione; dum pariter loca certa aliarum urbium cerevisiam parare ac sistere non valuerunt. Sic Lipsiæ non potuisse itidẽ Torgaviensem cerevisiam coqui ex aqua istius loci illuc devecta, scriptum deprehendimus apud *Casp. Hoffmannum de medic. officin. cap. ultimo p. 555.* Sic Hannoveræ non potuisse Zythepsam Hamburgensium cerevisiam coquere annotat *Mœbius in institut. Med. p. 520.* Ex his itaque partim colligere licet DEI mirifica opera, dum non omnia loca ex omni parte beata voluit esse, sed adeò distinctis dotibus ac conditionibus instruxit, nec non modò huic loco bonum hoc indulsit, modò alii aliud, vel eidem denegavit; quò fortè inter alias causas commercia & societas hominum eò melius conservaretur, de qua materia alio in loco plura inposterum cum DEO daturi sumus. Utrum a. in eo negotio cerevisiam concernente suspicari liceat, quòd vecturâ illâ aliis in locis aqua inepta fuerit reddita, vel reperta, pro cerevisia expetita, inquirant curiosi. Quòd

C vero

verò vecturâ cerevisia & alii liquores quadantenus immutentur, paulò post innotescet. |Suspicamur interim ferme, quòd aër nonnihil etiam conferat in locis quibusdam pro cerevisiæ varietate; siquidem aërem pro variis tincturis pannorum aut linteorum, quàm aquam, in locis quibusdam efficacem magis existere ex mente *Rhynii* refert Exc. *DN. Joh. Bohnius de aëris influxu p. 70.* Quæ leviter jam saltem attacta curiosorum accuratiori indagatione digna censemus. Plura de locis non omnibus aptis ad cerevisiam quampiam desideratam, uti & de irregularitate ac diversitate potus cerealis sæpe eodem in loco & ex iisdem ingredientibus, diversis solùm in officinis existentibus aut parati disquirit etiam *Schoockius l. d. cap. 10. p. 93.* &c.

§. 17. Paulò superiùs *§. 8.* indicavimus operosam cerevisiæ Numburgensis coctionem, quæ etiam ideò, tanquam consona veritati, adeò & meritò ab autoribus variis commendatur. *Jac. Primerosius de vulg. error. in Med. l. 3. c. 1.* taxat Zythepsarum communem ferè errorem, quòd cerevisiam non satis diu decoquant, præcipuè si aqua impura ad illam sumatur. Sic inter bonæ & ad usum commodæ cerevisiæ notas aliàs illud attingit *Schola Salernitana c. 16. p. 145.* inculcans hæc:

Non acidum sapiat cerevisia sit benè clara,
Ex granis sit cocta bonis satis, ac veterata.

Quem in locum, si volupe est, etiam commentatores evolvi possunt. Non immeritò autem sufficiens coctio pro bona cerevisia injungitur: hac ratione quippe cruditas ingredientium mitigatur, ne postea sylvestres qualitates & rigidas noxiasve operationes cerevisia nanciscatur, & exserat postmodum in usu. A coctione operosa Numburgensis cerealis potio fortè etiam non ita clara ac pellucida existit, uti alia varia cerevisia, cùm nigra vel fusca obscurive coloris eadem potiùs appareat. Sic etiam colorem cerevisiæ inditum aliàs non à frumento & lupulo solùm, sed etiam à coctura dependere arbitratur *Melch. Sebizius de aliment. facultat. l. 4. c. 3. p. 1153.* Vitiô cruditatis verò non rarò laborant

rant

rant cerevisiæ paganæ, quæ parum & perfunctoriè coctæ, flatibus ac fermentationibus minùs aptis vel salubribus postea ansam præbent: inde enim tormina, nausea ventriculi, stranguria & similia mala oriuntur. Quomodo stranguria à cerevisia novella excitetur, docet *Helmontius de Lithiasi c.4.§.29.* Utrùm ipsa verò ab acida causa oriatur, quadantenus ambigimus. Numburgensis cerevisia inter suas facultates laudabiles laxantem operationem non adeò coctionis insufficientis vitiô, quam virtute ingredientis aquæ, aëris, locique conditione sortitur, ac postea depromit. Deinde pagana cerevisia plurima, quia coctione abundanti destituta est, conservationi commodæ ac diuturnæ reluctatur. Præterea quoniam illa etiam omni ferè anni tempore, scilicet in vere, ubivis coquitur ac paratur, hinc corruptioni & acori citiùs obnoxia & omnium sanitati non ita congrua est; uti in colica suspectam illam censemus infra §. 55.

§. 18. Numburgi autem Zypothœi in autumno, hyeme & initio veris coctionem solùm peragunt hordeacei sui potus, videlicet præsente frigidiore statu aëris & aquæ, idque publicâ lege atque consuetudine ita ferente (dum circa Michaëlis festum illud suum opus incipiunt, & usque ad diem viridium modò continuant) reliquô tempore calidiori in dicto negotio feriantes. Optimam alioquin cerevisiam coqui in Martio mense plurimi credunt ac docent autores; quod quidem respectu subsequentis temporis calidioris, quô aqua, aër & operatio ineptior est ad cerevisiam bonam ac diu durabilem, non admodum experientiæ refragari videtur. Sic *Joh. Mich. Schwimmerus in curiositat. phys. diss. 10. §. 25. p. 173.* &c. dictô Martii tempore aquam maturam & aptissimam censet. *Joh. Rud. Camerarius in memorab. Medic. cent. 9. part. 76.* expendit hæc: cur aqua in Martio collecta durabilior sit, & conferat pleuritidi atque oculis. In Martio autem meliorem, quàm alio tempore coqui cerevisiam videtur quadantenus negare Excell. *Pancr. Bruno in Lexic. Castelli renovato p. 274.* Cui sententiæ etiam favet *Schoockius l. a. cap. 24. p. 245.* &c. De

ine-

inepto tempore calido ad cerealis potus coctionem testatur præter experientiam eorum quoque autorum assertum, qui docent Septentrionalium vel frigidiorum regionum incolas meliorem cerevisiam sistere, quàm calidorum locorum. Cæterùm non destituunt Numburgensem liquorem Cereris etiam operosa mistio, fermentatio & cætera requisita; veluti plures bajuli & operarii ad cerevisiæ magnam quantitatem (quæ simul illic unica coctione confit) requisiti, singulisque officinis cerevisiariis, quoad varia sua officia adsciti testantur. Imò magistri atque ministri vel servi cerevisiario operi destinati quovis annô jurejurandô quopiam ad fidelem suã administrationem obligantur, de quo loquitur *dissertatio allegata de braxatione c. 6. §. 6.* Si quis verò in genere plura de fermentatione cerevisiæ ritè instituenda rescire appetit, autores de cerevisia agentes adeat, quibus jungi possunt *Mart. Kergerus de fermentat. p. 125. Matth. Tillingius de ferment. p. 121.* &c. *Thom. Willisius de ferment. c. 7. p. m. 25.* &c. aliique plures idem hoc argumentum ventilantes.

§. 19. Vix etiam aliis in locis, uti modò diximus, tanta cerevisiæ copia simul unicâ operatione vel coctione in officinis cerevisiariis excoquitur quam Numburgi; quamvis etiam paucos ante annos cœperint dimidiam portionem cerevisiarii operis (halbe Gebräue) ibidem admittere atque coquere. A termino paulò ante dicto usq; ad Michaëlis festum communiter suspenditur coctio, quousq; plurima cerevisia asservata consumpta, vel corrupta aut usui inepta est residua. Ultra dimidium annum autem, citra acidum saporem vel corruptionem, vix etiam asservatur eadem cerealis potio. Singularis itaque est conditio Gedanensis cerevisiæ, quam aliquando sexaginta annos superantem, & medico usui, quàm siti sedandæ, aptiorem se reperisse asseverat *Phil. Cluverius l. 1. Antiqu. German. c. 17.* Verùm ejusmodi cereales potus, qui nimis spissi & spirituosi à frugibus & coctione existunt, nec aqua intercedente sufficienti conditiones legitimi potus explent, varia mala sæpe inferunt sanitati; etiamsi diutiùs asser-

vari

vari iidem, aut pro navigiis commodiores eô modô reddi possint, quàm qui diluti magis sunt: de qua materia in *dissertatione nostra de literatorum potu c. 2. §. 19.* &c. & paulò post hæc pleniùs agitur. Quò plus lymphæ verò aliàs excipit cerevisia, eò minùs lymphatos, mentem turbatam, aut ebrietatem causatur. Medium locum itaque occupat inter generosum & nimis segnem potum vel aquam cerevisia Numburgensis, quæ non est degener illius proles, nec hujus nata; atque ideò bonum ac salubrem, nec non eruditis ac lautioris conditionis hominibus aptum potum constituit; uti in *dictæ nostræ dissertationis §. 20.* &c pariter subinnuimus, atque potum similem personis modò memoratis commendavimus. Attacta verò cerevisiæ copia simul parata, & efficacia non omnis ipsi subtracta loquitur subinde de sinistro effectu: quatenus eadem recens vel modò cocta in cellis clausis recondita fermentando adeò vaporibus subinde replevit ista loca, ut ii hominibus appropinquantibus ac commorantibus ibidem, aliquandiu respirationem suffurati, & ab iisdem quipiam homines penitùs suffocati sint; non aliter atque à musto interdum tragicus ejusmodi eventus innotescit.

§. 20. Mos varius etiam in diversis locis obtinet ratione convasandæ cerevisiæ, dum scil. quidam illam statim post coctionem absolutam calentem adhuc infundunt doliis, uti fit Numburgi; aliis in locis verò fermentationem aliqualem cerevisiæ expectant, usque dum candelam accensam halitus istius non sinant ardere, quod in Dania usitatum dicit *Sim. Pauli in quadripart. Botan. p. 405.* Aliis in locis majorem fermentationem absolutam semper, vel subinde in cerevisia expectant, antequam indunt illam vasis; atque hanc diutiùs durare nec sponte & adeò subito postea, nisi arte, ad fermentationem aut corruptionem redigi volunt. Porrò cerevisia Numburgensis in doliis ritè picatis asservatur; nec magnâ capitis noxa ideò ab eadem metuenda est, nisi picis fumi magna quantitas in cadis aliquoties destinatô consiliô includatur. Picatas verò cerevisias aliàs dicti reatus accusat *Pla-*

cotomus de cerevisiis. Audiamus insimul etiam de hac re sententiam nostri quondam Æsculapii Salani, scilicet B. *Rolfincii in ordin. & method. Medic. special. l.2. sect. 3. c. 67. p. 143.* In picatis doliis, inquit, adservatæ cerevisiæ, ut Numburgensis & Jenensis, à multis damnantur noxæ, sed fulgura hæ censuræ sunt expelvi. Præterea potus dictus cerealis in cellis vel antris profundis (ab aëre, calore & aquæ affluxu munitis) commodiùs ac diutiùs à corruptione immunis conservatur; imò esculenta, potulenta atque humida alia varia, putrescentia, item seu vapores & effluvia spargentia non benè propè Numburgensem atque aliam quamcunque cerevisiam asservantur; si quis hanc integram & à corruptione liberam diutiùs recondere appetit.

§. 21. Notari insimul hoc meretur, si experientia comprobet sequentia asserta, ne scilicet fragrantia ad cerevisiæ receptacula adferantur, vel in illis asserventur. Sic *Hagecius de cerevisia c. 12. p. 45.* scribit: quod cerevisia triticea admodum aversetur rosarum præsentiam eâque corrumpatur, si quocunque modô ad istam rosæ propiùs in cella admoveantur; de eodem vide sis etiam *G. Morhofium de transmutation. metall. p. 99.* Monent alii menstruatas quoque fœminas à cerevisia arcendas esse, cùm observasse velint ab illarum anhelitu istam levi momentô acorem contraxisse; de quo *Mart. Schoockius l. a. c. 48. p. 404.* & *Isaac. Schoockius in centur. problem. var. histor. phys. med. 15. p. 14.* Annotat etiam Illustris nostræ Academiæ Nat. Curiosor. Præses *Joh. Mich. Febrius de Absinth. p. 163.* &c. quod fulgura corrumpant facilè cerevisiam, nisi profundiùs in cellis & cadis probè clausis illa asservetur. Similiter, cur recens atq; calens adhuc cerevisia facilè corrumpatur, quando fulmen cadit, disquirit *Mart. Schoockius de cerevisia c. 38. p. 351.* Deinde quòd etiam cerevisia in doliis florente hordeô turbetur, & ex hordeo non fiat malta, dum reliqvum hordeum in campis floret, cum hujus ratione addita traditur in *Sylv. Rattray theatr. Sympathetic. p. 137.* Illud tamen veritati minùs consonum esse asserit

Schoo-

Schoockius de fermentat. c. 33. Interim calidô illo tempore propter calorem ad cellas citius admissum sulphureasque particulas sive atomos activas vegetabilium vestibus adhærentes, vel halitus similes in conditoriis à respiratione aliove modô ortas, non est impossibile quin corruptionem cerevisia citius contrahat, uti ex fragrantibus antea attactis cerevisiam afficientibus non obscurè posterius hoc etiam colligi potest.

§. 22. Dehinc si cerevisia sponte spumam vel flores promit aut projicit extra orificium superius vasis vel dolii, matura eadem potuique apta censetur. Si verò non procedat ejusmodi character, aut si cerevisiâ dictô aliove modô non indicet suam maturitatem, ars adjuvat eandem, quatenus polenta contrita aliæve res fermentationem commodam excitantes in illam immittuntur; de qua re plurimi autores de cerevisia scribentes agunt, atque ideò consuli possunt. Notum quoque est, quòd pro meliori cerevisiæ integritate conservanda, doliorum orificia argilla vel lutô recenti, cui subinde sal permixtus est, obdurari soleant, ne aër promptè in illa recipiatur, unde aliàs corruptio citiùs metuenda est. Suadendus verò magis videtur eo pro negotio loco salis culinaris sal Alkali, cineres vulgares, vel clavellati, & alia ejusmodi plura; quæ cerevisiam à corruptione tueri vel corruptam illam emendare quadantenus pollent.

§. 23. Varia etiam talismodi media, quæ restituunt acidam cerevisiam, consignata prostant in autoribus cerevisiam describentibus ac ipsius attributa ventilantibus, quibus investigandis jam non immorabimur prolixe: sic degenerantem & acescentem illam corrigere quidam satagunt nuce moschatâ, centaureô minori, & radice caryophyllatæ, cujus, vel caryophyllorum oleum pro arcenda aciditate laudat *Paracelsus l. 3. de conservand. rer. natur.* Similiter quòd caryophyllis Zythum ex hordeo confectum præservetur, colligere licet ex *Sylv. Rattray l. c. p. 9.* Deinde urtica urens maxima (quæ aliàs in hæmorrhagiis adeò dilaudatur à multis) & frustum chaly-

bis.

bis optimæ notæ, cerevisiæ injectum, illam ab intempestiva fermentatione æstatis tempore à tonitru metuenda tuetur, si credimus *Sim. Pauli in quadripart. Botan. p. 519.* Aliàs etiam Zingiber & baccæ lauri pro conservanda cerevisia integra ipsi immittuntur. De cretæ eadem potestate vulgò non ignota, videantur *Joh. Crato in Epist. med. 130. f. 228. Joh. Andr. Graba de cervo p. 111.* aliique plures. De cinere & similibus alcalinis fixis eidem intentioni inservientibus supersedemus multa commemorare, quæ etiam non semper adeò insalubrem, quàm invisam reddunt cerevisiam iis, qui hujus correctionis gnari sunt. Interim negandum non est, quòd integra cerevisia, quæ non indiget correctione, illi præferenda non sit, quæ priùs corrupta ac postea restituta vel renovata fuit. De cerevisia Numburgensi quoque constat, quòd non insignem aciditatem communiter contrahat, ut aceti loco (ceu reliquæ cerevisiæ plurimæ) inserviat. Hinc eadem etiam diutiùs quàm pagana vel urbana alia varia citra corruptionem asservari potest; nec propterea metuere illam opus habent, quibus acidum aliàs adeò est odio, & propterea potum varium in medicina vel diæta proscribunt. Dictam illam absentiam aciditatis forsitan coctio larga inter alia vetat in ea cerevisia, siquidem *Melch. Sebizius de alim. facult. l. 4. c. 3. p. 1152.* de eodem testatur, quòd accuratè cocta cerevisia potentior sit ac diutiùs duret: Aquæ enim humiditatem, quæ alterationi exposita sit & corruptioni aptissima, coctione perfectâ consumi ait. De adductis his adhuc moneo & addo, quòd corruptio, præter humidi copiam relictam ab insufficienti coctione, etiam à malti ac lupuli parca ignis aut coctionis experientia (quia isthæc alterationi ideò magis obnoxia sunt) oriri possit. Verùm Numburg. cerevisia, etiamsi aquâ abundat, ac destituta est ingredientium reliquorum uberi apparatu, attamen propter suam exactam coctionem & operationes admissas diutiùs incorrupta servari potest, quàm alia varia. Cæterùm cerevisiam conservari quoque in marinis itineribus à putredine ovis in vasa injectis, (quæ exceptô vitellô con-

consumi dicuntur in illis) intelligimus ex *Actis Philos. Anglic. Anni 1667. p. 158.* Liquoris etiam mentionem facit laudatus *Morhofius l. a. p. 100.* cujus paucæ guttæ corruptam cerevisiam restituerint. Quibus lubet plura similia intelligere, adeant *Balth. Schnurrium* im Kunst- und Wunder-Buche *p. 128.* &c. Non temnenda etiam de eodem & aliis negotiis variis circa cerealem potum occupatis habet *Stengelius l. a.* & *Knaustinus l. c. lib. 3. p. 63.* &c.

§. 24. Contingit idem illud aliàs Numburgensi, quòd de aliis cerevisiæ generibus quidam referunt, quod scilicet meliorem saporem sæpe acquirat, si in alia loca transvehatur, idque sine dubio propter motum novamque fermentationem; quamvis etiam quandoque forsan deteriorem conditionem aut saporem contrahat illa, quando bibulorum aurigarum vel anabaptistarum dolum dolia variâ arte reserata experiuntur. Inquirit *Isaac. Schoockius in problem. hist. Med. 13. p. 13.* cur cerevisiam mare emendet vel cur alium saporem eadem nanciscatur, si in alium locum vehatur. De eodem, & quòd cerevisia ex Germania ad Aquilonares terras transferri possit, atque sapidior ac potentior reddatur marinis fluctibus, si ex lupulo fortissimo (qui hamulus dicatur) cocta sit, agit *Olaus Magnus lib. 13. Septentr. Histor. c. 32.* Deinde docet *Joh. Rudolph. Glauberus l. a.* succum vel liquorem spissum magis solitô aliàs, nec admodum dilutum conficere ex cerevisiæ ingredientibus, qui navigiis magis aptus, nec corruptioni adeò obnoxius sit, cujus portio quæpiam postea quovis tempore aquâ affusâ facilè in cerealem liquorem potabilem redigi possit; de quo experientia consuli potest.

§. 25. Perlustravimus hucusque præcipuè cerevisiæ Numburgensis materiam vel ingredientia, coquendi item modum, ac conservandi, & transvectæ tandem illius conditionem; restat proinde ut adhuc examinemus vituperia & elogia, vel vires ejusdem. Mox verò autores quospiam sinistros effectus (præter tot tamen melius edoctorum alio-

rum

rum experientiam) cerevisiæ illi affigere & affingere deprehendemus. Sic autem *Nicol. Reusnerus in Poëmat. part. 3. lib. 3. p. 286. & 287. ad Danielem Eulebeccium* exponit vires illius (quos versus etiam citat *Adr. Beierus in Architecto Jenensi p. 308.*)

Scire Novembergi, Daniel vis munera Zythi?
Paucula si legis hæc carmina certus eris.
Calculus hinc cedit, cedit nodosa podagra:
Ægrifici ventris cedit & omne malum.
Lumina caligare facit, rorareque nares
Sanguine, cum manibus mox titubare pedes.
Crescit & inde venus, vires sumptura bibendo:
Crescit & hinc alvi mox cita profluvies.
Pocula quem Zythi faciunt citò currere sani,
Forsan & hinc læto corpore sanus abit.

§. 26. Sed bona verba quæso Domine *Reusnere:*
Parciùs ista bono huic Zytho objicienda memento!

Seqvuntur forsitan hunc autorem alii, qui cerevisiam illam pariter cœcitatis incusant, sic enim *Joh. Jonstonus in Idea Med. pract. p. m. 40.* (aut in denuò edita eadem sub titulo *Syntagmatis universæ medicinæ p. 128.*) hæc habet: Cerevisia Neoburgensis in Thuringia; quæ benè excoquitur & nutrit; nimium si bibatur, caliginem oculis inducit, quidam à nimio ejus potu cœci evasere. *Bald. Timæus post responsa Medic. p. 163.* hæc de eadem depromit verba: Numburgensis cerevisia Erfurtensi præstantior & salubrior est, à nonnullis tamen lædere visum, nec rarò cœcitatem inferre dicitur. Inter virtutes quaspiam illius cerevisiæ recensitas similiter vituperium modò dictum attingit *Jac. Theodorus (Tabernæmontanus* vulgò dictus) *in herbar. l. 1. c. 20. f. 663.* Addit idem autor ibidem, quod illa capitis etiam debilitatem excitet, atque ideo ille vitiô ejusmodi laborantibus dissvadet ipsius usum. Verum dubium est, an unquam dicti illi, aliique autores repetentes verba isthæc degustarint cerevisiam istam, vel solidam cognitionem & experientiam de ea habuerint.

Proin-

Proinde cœcus cœcum potius duxit in ejusmodi opinionem, de cœcitatis causa dependente ab ipsa cerevisia; veluti etiam *Timæus, Theodorus* aliique plures id rumori aut lectioni duntaxat tribuunt, nec sua aliave experientiâ constanti confirmare pollent aut audent. Enim verò illum cœcitatis sinistrum effectum de cerevisia eadem minùs veritati consentaneum fuisse hactenùs compertum meminit *Val. Andr. Mollenbroccius de Arthritide vaga Scorb. c. 12. p. 190.* Sublevat nos insimul ab aliquali apologia vel responsione, pro isto opprobrio vel reatu cerevisiæ nostræ affricto refutando, alioquin nececessaria *Joan. Placotomus de cerevisia p. 88.* Eam, inquit, occœcare potenter clamant, neque id mirum est; cum non tam oculis, quam mente capiantur, si immodicè & perinde ut jumenta aquas infundant. A cujus sententia non est alienus *Henr. Knaustinus* Von der Göttl. Gabe der Philosophischen Kunst Bier zu brauen *l. 3. p. 57.*

§. 27. Cui interea experiri placet, cur ebrii & furiosi res geminatè videant, certior reddetur à *Sennerto l. 1. prax. p. 900.* De ebriorum gemino visu objectorum visibilium constat etiam ex *Thom. Jordani de divino in morbis cap. 11. p. 48.* Illa autem oculorum, imo pedum, manuum aliorumque organorum & sensuum internorum ac externorum impotentia facilè à quocunque generosi potus nimio usu vel abusu proficiscitur, veluti fusiùs hoc demonstrare valeremus, si longiùs in his occupari aut hærere vellemus. Quis dubitabit præter hæc, jocô aliquando prolatam illam culpam, eamq; cerevisiæ illatam fuisse, quæ postea ab aliis seria atque vera reputata, propugnata & propagata indifferenter fuit: veluti de simili materia vel vocum ambigua interpretatione suo tempore plura *in scrutinio nostro amuletorum* suppeditabimus. Imò *Reusnerus* videtur ipsemet prodere quadantenus ambiguitatem sinistri effectus cerevisiæ imputati; quatenus manus ac pedes inde titubare ait. Ab ebrietate itaque hic effectus potiùs metuendus est, uti experientia de potu generoso alioquin id comprobat. Statuit insimul citatus autor,

 quòd

quòd dicta cerevisia citò currere faciat; item quòd cedat ab eadem nodosa podagra, artus alioquin ligans; uti & quod læto ac sano corpore abeat, qui illam bibit. Si quis conciliat illa dicta commoda dependentia ab usu legitimo, & incommoda ab immodico usu cerevisiæ, consignata, non obscurè jocô quopiam prolata, aut certâ ratione accipienda esse eadem intelliget; veluti etiam oculorum & capitis mala, temporanea aliàs à potu generoso quocunque, vel qui vitiô quopiam peculiari laborat, oriri possunt; uti antea dictum, & adhuc dicetur in subsequentibus.

§. 28. Rarò autem à solo paulòque largiori potu cerevisiæ Numburgensis ebrietas, & hujus consequens effectus, scilicet balbuties, vertiginosa & imbecillis visio &c. oriuntur, uti quidem ab alio potu generoso citiùs isthæc fieri observamus; de quo ejusque ratione videri potest *Gregor. Horstius in operum tom. 3. f. 190.* Testantur quoq; non rarò nomina vel epithetha variæ cerevisiæ in quibusdam locis addita de effera illius efficacia, de qua autores à nobis allegati *§. 5.* fine videri possunt. Sic dictam volunt quidam cerevisiam Mumme quod mutos quasi faciat, & non aliam præter ejusmodi inarticulatam vocem eloqui sinat. Mord und Todtschlag à vi caput turbante & inquietos reddente quipiam deducunt. Knisenack quidam dici putant, quod cervicem frangat, vel in lapsus reddat pronos. *Sim. Pauli in quadr. Bot. p. 380.* verò modò dictam cerevisiam Knesenack rectiùs scribi, & significare illud nomen vult idem ac Dominorum vel Magnatum cerevisiam. Pluria similia jam eruere vel adducere huc supersedemus. Utrum itaque communiter olim, vel interdum fortior cerevisia Numburgi, quàm hodie solet, exstiterit parata; aut an ista cum vino juncta ebrietatem cum aliis hujus Symptomatibus induxerit quibusdam; aut an sola eadem inebriaverit quempiam, qui potus tenuis etiam impatiens fuit, ignoramus. In *dissertatione nostra verò de literator. potu c. 1. §. 15.* indicavimus, quòd quidam etiam à solius aquæ potu ebrietatem abstulerint. Non immeritô porrò suspicio nobis

oritur

oritur de ambigua voce cœcitatis, quòd scilicet non eadem perpetua sit intelligenda, quam quidam à cerevisia Numburgensi promanare volunt. Namque Germani dum insigniter inebriantem cerevisiam vel ebrios existentes describere solent, exprimunt illud vocibus Stockblind oder blindvoll. Uberior hujus suspicionis ansa atque ambigua interpretatio Cerealis liquoris Numburgensis occœcantis, & caput turbantis aut debilitantis colligere licet ex verbis *Joh. Coleri* (vulgi oraculo œconomico) Hauß-Buche *l. 2. fol. 22.* recensens autem ibi autor variam cerevisiam salubrem in Thuringia & Misnia reperiri, subdit demum hæc in vernacula: Sonderlich aber zu Nauburg / da man ihm (dem Biere) dann Gerste gnung / und recht gut Maltz gibt / und mit Fleiß brauet; darum nehrt und wärmt es wohl / allein daß es sehr in Kopff steigt / wann man es zuviel trinckt / daß auch die Leut blindvoll darinnen werden. Verùm de illa cerevisia, quæ hodie communiter Numburgi prostat, nemo facilè metuit magnam ebrietatem; unde potiùs ibidem & in confinibus locis in conviviis pro declinanda crapula, à vino aliàs metuenda, Cereris ille liquor desideratur, & pro calore sitiquè mitiganda, à vino itidem oriunda, interponitur ipsius potui; vel etiam dictum in hunc scopum in fine conviviorum præcipuè illa bibitur: veluti hujus & mox memorandi fecimus pleniorem mentionem in *dissertat. de literator. potu c. 2. §. 90.* Similiter eadem cerevisia adeò expetitur propter mitem suam, minusque inebriantem naturam ab iis, qui nicotianæ usui noto indulgent; ne scilicet capitis molestia & imbecillitas, à dicto fumo aliàs metuenda augeatur, sed potiùs imminuatur & corrigatur. Proinde hæc recensita, quia veritati consona sunt, Numburgensium cerevisiam ab istiusmodi reatu liquidò absolvunt, & commentum talismodi errore, imperitiâ, vel jocô ortum ac propagatum esse arguunt.

§. 29. Non impossibilis tandem foret ebrietas, vertigo & caligo oculorum, si fortè aliquando infelix lolium (juxta *Virgil. Bucol. Ecl. 5. v. 219. & Georg. lib. 1. v. 163.*) Ægylopem, sterilemve avenam (& quidem vel destinatô consiliô, aut cum

hordeo illam collectam) quispiam admiſcuerit cereviſiæ; uti à quibusdam illud ſubinde fieri ſolet, de quo *Mart. Schoockius l. a. cap. 9.* Non obſcurè autem iſtiusmodi mala oculis metuenda eſſe à lolii uſu perhibent autores. Sic enim *Ovidius lib. 1. Faſtor.*

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Non alienus ab hac ſententia videtur eſſe *Plautus in milit. glorioſ. 2.3.* inquiens : Mirum eſt, loliô victitare te, tam vili tritico. Quid jam? quia luſcioſus es verbero. Ædepol tu quidem cœcus, haud luſcioſus. De lolii maleficio plura conſtabunt ex *Job. Schenckii obſervat. l. 7. fol. 880.* aliisque autoribus pluribus. Tacemus alia varia, quibus mediantibus interdum in locis quibusdam, quidam turpi lucro inhiantes, inebriandi poteſtatem, colorem, aliasque plures proprietates cereviſiæ inducunt vel conciliant : ſcilicet fuligine, ſemine hyoſcyami, cocculis de Lephante, foliis ſalicis &c. quos auſus malitioſos ac pernitioſos recenſet, damnat & homicidio accenſet *Jac. Theodor. Tabernæmontanus l. a. cap. 20. f. 659.* &c. Apud *Sim. Pauli in quadrip. Botan. p. 46.* mentio fit, quòd in Belgio, Dania aliisque in locis pluribus à Ruſticis Rhus myrtifolia ſeu chamæleagnos cereviſiæ coquendæ addatur, ut tetenuis dilutaque cariùs veneat; quippe quò aptior evadat ut ociùs

Impediat greſſus debilitetque pedes.

Eam etiam cereviſiam crapulâ diſcuſsâ enormes capitis dolores non aſſvetis gignere ſolere, dicit laudatus *Pauli.*

§. 30. Cæterùm ex ſacris etiam addiſcimus, quòd inter alios affectus vel effectus malos, quos ebrietas, & abuſus vini eructat in intemperantes, oculorum vitia & rubedo contineatur, de quo *Proverbior. c. 23. v. 30.* Ideoque, veluti in omni alia ſaluberrima re, ſic etiam in potu.

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Verùm licet norint maximè quidam bibuli oculorum aliarumve partium aut functionum læſionem à potu nimio ſe contracturos, reperias tamen inter eos, qui parum penſi illud habeant; quin potiùs cum illo ſtatuant, quem delineant ſequen-

quentes versus *Poëtæ allegati* apud *Jac. Pontanum in Bellar. Attic. p. 218.*

Potando Medicus perituros dixit ocellos,
Fusco: qui cum se consuluisset ait.
Perdere dulcius est potando quàm ut mea servem
Eradenda pigris lumina vermiculis.

Benè insimul ebrietatis imaginem torvam inter alia velatis oculis depinxit quispiam, quam conditionem metricè exprimit *Poëta* annotatus apud eundem *Pontanum l. c. p. 344.*

Cur velati oculi? occœcat quia lumina mentis.

Alius locus in hanc rem quadrans occurrit etiam apud *laudatum autorem p. 496.* ubi ostenditur ebrios, ut amantes cœcutire. Sic de Lacedæmoniorum Symposiis *Critias in Elegiis* inter alia hæc depromit de potu nimio:

Invaditque oculos cœca caligine nubes,
Curas lethæo pocula more fugant.

§. 31. Sed ad Numburgensium liquorem Cereris revertimur, de quo nescimus, utrum fortè autores quipiam, propter ipsius vim laxantem & flatulentam oculis itidem infestum illum declararint; sicuti aliàs statuunt, quòd flatulenta existant legumina, bulbi, olera & similia alia, ita eadem etiam oculis infesta declarant. A veritate v. planè alienã esse hanc culpam cerevisiæ Numburg. assignatam, facilè quivis experietur, modò loci illius atq; incolarũ conditionis gnarus sit. Peregrini, item mercatores remotis ex locis nundinas ipsius urbis quovis annô, hac scil. & subsequentibus septimanis visitantes, vel locum illũ alias ob nundinas & mercaturam crebrò peragrantes, veritatis à nobis assertæ certiores facilè reddentur. Hinc verba *Lansii*, quæ in præfatione adduxim9 de Italis, nostra jam facimus, & iis, qui à veritate dissonum quid de illa cerevisia statuunt, perfectiorem gustum mentemque (addimus etiam experientiam) apprecamur. Nulla quippe cœcitas nec capitis debilitas aut turbæ, aliunde æquè advenientibus hominibus ac inquilinis, qui vegetæ aliàs ætatis ac valetudinis sunt, ibi à cerevisia oriuntur; nisi senium, tan-

tandem (uti aliis in locis, ita & illic) oculorum & aliorum sensoriorum organorum usu eos inquilinos sensim deprædetur. Demum si quis ebrietatem fortè contrahat ab eadem solâ, ut ideò neque pes, neque manus, caput, oculi aut alia organa suô officiô defungantur; temporanea sunt ejusmodi mala, & caligo oculorum inprimis, nec oculariô chirurgô ideò illa indigent, cùm facilè transeant: quando scilicet ipsorum causa, videlicet crapula displosa est, somnô ac inediâ admissâ, vel vomitu præmissô. Non suspicamur itidem diuturnam ebrietatem & cœcitatem ab eadem oriri posse, cum ii, qui levi potandi habitu præditi sunt, eludant communiter omnem ebrietatem ab eadem metuendam. Interim constat etiam, quòd aliquando vel tres aut quatuor dies superans ebrietas in quibusdam hominibus à generoso potu oborta & observata sit, de quo *nostra dissertat. de literàt. potu c. 2. §. 67.*

§. 32. Non extorquere etiam hoc, aliisque in locis pluribus degentibus juvenibus atque senibus, literis atque imperio summo vel magistratui addictis debemus testimonia, de dicta innocentia Cerealis liquoris Numburgensium; utpote qui à seculô & ultra huc usque eodem usi sunt, & etiamnum quotidiè utuntur, atque sæpè abutuntur, nec tamen istam oculorum aut aliam sanitatis noxam inde deportant. Dubium potiùs non est, quin cerevisia hæc salubribus suis facultatibus toties laudatis & adhuc laudandis, vel memorandis catarrhorum materiam & hujus subsistendi ansam à nobilibus ad ignobiles partes, vi suâ geminâ aperiendi derivet, scilicet superfluum serum, ulterius illinc excernendum; adeò ut juxta *6. Aph. 17. 31. 46.* &c. *atque sect. 7. Aph. 29.* oculorum malis quibusdam æquè illa blanda continuata alvi, & spontanea quasi subductio conducat, ac quidem alioquin arte concitata purgatio, quæ salutaris oculis observatur ac declaratur. Sic recordamur puellæ ophthalmiâ oculi dextri laborantis alio in loco, quæ huc devecta hujus loci cerevisiâ, laxante itidem quadantenus, & diæta,

leni-

lenibusque purgantibus subinde interpositis liberata fuit ab eodem malo. Neutiquam verò patrocinamur his prolatis potui nimio naturæ inimico, quicunque etiam sit ille; cum æquè à cerevisia, & aqua, quam à vino nimio mala varia contrahi possint. Imò si intempestivè solùm potus varius, bonus alioquin, & minùs temperatè admittatur, noxius sæpè evadit; veluti multa de his *nostræ dissertatationi de literatorum potu* inseruimus. Quod verò à salubris etiam cerevisiæ potu nimio in bibaces mala plurima redundare possint, inter alios autores benè inculcat *Jac. Theodorus in herbario l. a. f. 659.*

§. 33. Quemadmodum verò aliàs unda undam trudit, ita unicus error multorum aliorum similium non rarò parens est; quod in *Reusneri* carmine non obscurè innotescit. Sicuti ex laxante & flatulenta facultate cerealis Numburgensium potus quispiam subsumere fortè nisus est oculorum hebetudinem: sic forsan etiam ex eodem fonte venerem auctam alius quispiam deduxit, vel derivavit; flatulenta verò aliàs ad suscitandum & augendum venerem apta statuuntur multorum suffragiô. Tandem equidem incolæ dictæ urbis non sunt steriles vel infœcundi, (ut adeò generationis negotio non reluctetur quidem cerevisia illa) non tamen admodum salaces existunt, vel æstrô veneris magis tentantur aut exagitantur, quàm aliorum locorum inquilini: veluti quidem talismodi loca dantur, quæ cerevisiam ejusmodi pro venere suscitanda potiorem possident, & nomen etiam quadantenus vulgari idiomate quopiam ideò gerunt. Sic Servestanam cerevisiam fœcundare, innotescit ex *Wendelini de admirandis Nili præfatione & p. penultima.* De Finlandiæ quoque potu Cereali scribunt, quòd mulieres fœcundas reddat ille, adeò ut istæ sæpè gemellorum matres inde fiant, attestante illud *Olaô Magnô Goth. histor. Gentis Septentrional. l. 13.* Nihil certi verò de cerevisia vel aqua Numburgensium nobis constat, quòd dicta ratione, aut forsan ob nitrosam suam qualitatem eminentem vim venerem stimulandi aut fœcundandi largia-

E tur;

tur; veluti quidem alia etiam aqua varia hanc ob efficaciam, deprædicatur. Quod Nilus fœcunditati multum conferat, non ex citato solùm *Wendelino*, sed etiam ex aliis autoribus variis dispalescit. Nitrosæ autem facultati tribuunt aliàs illam Nili potestatem *Jul. Cæs. Baricellus in hort. Genial. p. 10.* & *Georg. Hornius in histor. natural. l. 4. c. 6. p. 222. 251. & 269. Idem autor ibidem & lib. 2. c. 3. p. 89.* etiam eandem aquam alvum laxare propter nitrosam qualitatem inditam scribit. Denique de Nili aqua fœcundante, & quòd econtrario *Tharra* aliæque plures aquæ sterilia reddant animalia juxta *Theophrastum*, certiores reddimur à *Mart. Schoockio de cerevisia c. 23. p. 225.* &c.

§. 34. Si verò hactenus examinati duo effectus & subsequens deterior, quàm priores à cerevisia Numburgensi promanarent, procul dubio eidem magna, cita & prompta vis inebriandi aut calefaciendi inesset, nec ideò ista adeò apta foret literis invigilantibus; quæ tamen iisdem oppidò congrua & salubris est. Illa namque mediocris vel temperatus potus existit, cujus largiorem quantitatem, pro corporis sui nutriendi atque humectandi indigentia eruditi citra noxam bibere possunt; veluti talismodi potum iis (si qualitatem atque quantitatem decentem non excedat) congruum duximus atque diximus in *dissert. de literat. potu*. Narium autem hæmorrhagiam etiam excitare memoratam cerevisiam, pariter indicat *Reusnerus* in disticho tertio expresso §. 25. Cur verò illa ejusmodi sinistrum effectum promoveat, non facilè hariolor; cùm experientia de eadem penitùs sileat, æque ac de alia gemina ista culpa antea refutata, calidam potestatem itidem præsupponente. Ad aliqualem frigiditatem itaque potius inclinare videtur Cereris illud donum, uti nitrosa ipsius qualitas, & mediocris temperies, nec non experientia stipata autorum communi suffragiô comprobat; de quo plura paulò post dicenda restant. Quòd vinum verò aliàs ad spiritus suscitandos, sanguinem movendum, & ex corpore emovendum vel hæmorrhagias promovendas aptissimum

simum

ſimum adminiculum ſit, citra noſtram iteratam experientiam, aliis quoque notum eſſe remur. Ii quippe qui in hæmorrhagias proni ſunt, à vini uſu facilè in easdem præcipitantur; inprimis ſi quis animi vel corporis varios motus ante vel poſt dictum potum patiatur. De vini dicta vi hæmorrhagias promovente aliquando in *diſſertatione de mictione cruenta* §. 38. egimus, quem locum huc transſcribere ſuperſedemus. Adſtipulantur præterea teſtimoniis illis *Mœbius in inſtitut. Med. p. 519.* Pueris, inquiens, febricitantibus & juvenibus ſanguine calidiori præditis, facileque ſputo cruentô, hæmorrhagiis & phthiſi laborantibus, vinum non concedendum. Similiter quòd cereviſiæ potus longè ſalubrior, quàm vini ſit infantibus ac juvenibus, propter nutriendi majorem ac meliorem facultatem ſtatuit, *Jac. Theodorus l. a. f. 660.* Sic poſt motum inſignem tripudiis peractum, à potu potenti vel vino generoſo aſſumpto, hæmorrhagiam profuſam ſecutam eſſe annotavit *Bald. Timæus lib. 1. Caſ. med. 34. p. 67.* Plura teſtimonia de vino ſanguinis effuſionem adjuvante trahi huc poſſunt ex *Galeni 6. Aph. Comm. 31.* & *Capivaccii l. 1. pract. cap. 51. item lib. 2. pract. cap. 6.* Vini quoque poteſtatem & vires, quæ ex ipſius uſu in ſanguinem redundant, benè ac diſertè exprimit *Remb. Dodonæus de vitis & vini hiſtoria cap. 6.* Et nos dum hanc diſſertationem conſcribimus, certos reddit amicus quispiam de juvene quodam vegeto literisque litante, qui vix ante dimidium annum noſtram urbem vel locum hunc eruditis viris ac vitibus feracem deſerens Argentoratum conceſſit, atque illic ob cereviſiæ gratæ ſibique congruæ defectum, à vini largiori vel continuato uſu inſignem in hæmorrhagiam vitæque dubium ſtatum ante aliquot menſes incidit. Iſthæc & ſimilia verò ſanguinem magis, quàm cor ſanguificare, inter alia non obſcurè comprobant. Eò citiùs quoque juvenes vel ad pubertatem accedentes (quos aliàs ſanguinis fluxionibus è naribus obnoxios etiam pronunciat *Hippocrates 3. Aph. 27.*) experientur hæmorrhagiam iſtam, ſi inter potum illum intercedant animi & cor-

corporis motus: veluti de his, merique usû profuso, vel continuato diætæ literatorum minùs congruo, prolixè egimus in *dissert. de literat. potu c. 2. §. 36.*

§. 36. Præter hæmorrhagias varias, quæ nobis innotuerunt à vino ortæ, aliquoties etiam à vini, Franconici inprimis, largiori vel continuato usu quiescentem palpitationem cordis gliscere observavimus; cui infelici vini effectui promptiùs adminiculum subministrarunt altercatio, vel alii sinistri affectus animi. Atque ita quidem ab acrimonia & concitato motu sanguinis inducto vel adaucto ex dicto vini potu, citiùs quam à cordis culpa malum illud induci suspicamur; etiamsi polypus, aliaque corpora subinde post mortem, dictô affectu defunctorum, in corde reperta fuerint. Quomodo merum juxta mentem *Hippocratis* efficiat palpitationem venarum, enarrat *Hier. Mercurialis in prælection. Bononiens. f. 436.* &c. Sic inter varios noxiæ atque turpis ebrietatis effectus etiam cordis palpitationem recenset *Mart. Schoockius l. a. c. 17. p. 166.* Quòd heluones itidem experiantur affectum istum, attestatur quoque *Helmontius.* Annotabit insimul curiosus lector anatomicas observationes de ejusmodi defunctis evolvens, quòd in illis sæpe corda magna atque patula reperta fuerint; cujus causam subministrare autumamus acrimoniam sanguinis & præcipitem illius ad cor tendentem aut concitatum motum atque pulsum; eâ quippe ratione cor velliicatur, infarcitur, roreque purpureô ista amplitudo conciliatur.

§. 37. Exempla istiusmodi magni atque ampli cordis, post obitum in corporibus defunctis deprehensi, quibus scilicet cordis palpitatio in vita molesta fuit, suppeditant Excell. *Christ. Garmannus, collega noster honoratissim⁹, de miraculis mort. p. 70. Miscellan. Acad. natur. curios. decad. 1. Anni 1. obs. 70. p. 171.* & *Theoph. Bonetus in Anatom. pract.* Forsitan nostrum horum locorum vinum hactenus dictis malis excitandis non adeo facilè inservit, quàm vina sulphureo-salinâ qualitate magis prædita; de quorum postremorum conditione, & ma-

lis

lis variis, ab iis procedentibus, nonnulla dedimus in *differt. de literat. potu c. 2. §. 1. &c.* Atque ideò credimus etiam palpitationi cordis ansam præbere aromatica juxta *Mœbium in Institut. Med. p. 157.* & Excell. *Paul. Ammanum in Parænes. ad discent. p. 171.* Forsitan autem vina nostra propter acidam suam evolutam aut apertam magis, atque ideò diureticam efficaciam, non ita in vasis stagnant, tartari concretionem & obstructiones moliuntur, & consequenter alia mala sanguini inprimis atque postea variis partibus inde nutriendis adferunt. Nihil in præsenti addemus de sanguine serove acri scorbutico, melancholico, & sine dubio alkalino vel muriatico magis quam acido, (cui viscida materia subinde conjuncta est) tanquam causa vel adminiculo potiori in palpitatione cordis accusando.

§. 38. Quòd verò palpitatio ejusmodi imminuta fuerit urinæ excretione, evulgat ex *Cratone Schenckius l. c. p. 68.* Cur itaque in his aliisque seri acris affectibus non commendemus cerevisiam Numburgensem, (salubrem propter geminam suam evacuandi, aliasque plures egregias facultates) nihil prohibet. Nulli quoque dubitamus, quin eadem cerealis potio præservationis gratia in ejusmodi malis multum præstet; si ordinario usui in diæta destinetur. Placet nobis in hanc materiam laus & locus de aquæ usu commodo, qui prostat apud *Balth. Pisanellum de esculentor. & potulentor. facultat. ab Arnold. Freitagio in Latinam convers. p. 158. & 159.* Omni, ait, ætati aqua convenit, idque peculiare præ vino obtinet, quô nomine majori, quàm vinum est usui, uti & melancholiæ ab adustis humoribus genitæ, ac *cordis palpitationi.* Sed de malis ejusmodi à sero dependentibus aliquando cum DEO *commentarium peculiarem ad Caroli Pisonis* elegantem ac utilem tractatum de morbis à colluvie serosa oriundis sistemus; quemadmodum etiam suo tempore dispiciemus an famosi adeò ardelionis vel πολυπραγμόνος officium subeat acidum in morbis variis, nec locum in curatione varia promptè inveniat; ceu istud hactenus multorum suffragio reputatum

 & con-

& condemnatum fuit. Denique cur palpitatione cordis laborantes haud facilè inebrientur, adi & audi sis *Wolffg. Hœferum in Herc. Medico p.m. 209.* & *Christ. Langium in Miscellan. curios. p. 39.*

§. 39. Cùm itaque hæmagogon existat vinum ex antea dilucidatis, aliisque fundamentis pluribus, miramur historiam à *Petr. Borello in obs. Med. cent. 2. obs. 87.* consignatam, dum abstemius quispiam crebrâ hæmorrhagia laborasse dicitur, qui curatus postea sit vinô moderatè sumptô. Non autem arbitramur aliis idem hoc, & præcipuè à largiori potu vini, contra hæmorrhagias bene successurum. Interim nemo facilè inficiabitur, quòd in Medicina etiam subinde monstra aut miracula, captum nostrum & communem cursum, vel regulam transscendentia fiant; juxta *Averroëm l. 7. collect. c. 2. Hippocratem item & Celsum.* Cujus asserti uberior etiam fides haurietur ex *Joh. Bapt. Sitoni Jatrosophia p. 118. 120. &c. Georg. Petr. Pierii dissertat. de fratre Lombardorum p. 5. Hier. Mercurialis consultat. 53. lib. 2. Hier. Jordani de divino in morbis p. 17. Thom. Bartholini in oration. 1. p. 1. &c.* aliorumque plurium autorum scriptis. Opus præterea esse videtur, ut conemur cerevisiam Numburgensem toties à multis (nec experientiâ refragante) decantatam, ab isto reatu *Reusneri* vindicare; cum eandem potiùs suadendam censeamus iis, qui aliàs obnoxii sunt hæmorrhagiis, & quidem partim ad antevertendum illas, partim etiam, quando eædem variis è partibus jam promanare observantur. Sic in narium hæmorrhagia eundem potum cerealem Numburgensium non temerè vel rationibus destitutus suadet amicus noster à teneris integerrimus, & jam affinis, nec non Medicus Sereniss. Ducis Saxon. Christiani Eisenbergæ residentis, celeberrimus *D. Adam. Hahnius in dissert. suâ inaugural. Academ. de narium hæmorrhagia Jenæ 1668. habita.* In illius *p. 33.* autor laudatus rectè dotibus hujus cerevisiæ annectit, quòd eadem visceribus nimiô æstu laborantibus, sanguinique ebullienti succurrere valeat. Cæterùm de nitro à quibusdam in hæmorrhagiis commendato nihil memorabo.

§. 40.

§. 40. Dicta istâ ratione phthisios etiam atque hecticæ materia & primordia (in salino corrumpente & quasi caustico non rarò nidulantia) destrui & ex corpore tempori exturbari possunt, à cerevisiæ illius usu; ne causæ istæ infelices invalescant, ros vitalis à sua consistentia temperata & legitima qualitate dejiciatur, atque ideò miserè postea pereant homines. In demonstratione illa verò jam non desudabimus aut persistemus, quòd hæmorrhagiæ tanquam symptomata vel causæ sociæ sæpe se habeant phthiseos aut tabis, cùm medicæ observationes nos facilè de isto erudiant. *Sim. Pauli in quadrip. Botan. p. 360.* Güstroviensem cerevisiam Knesenack dictam, si scilicet calefacta, cardamomi ac cinnamomi tantillo ac vitello ovi unius condita, saccharoque edulcata sit, senibus tussiculosis ac emaciatis prodesse dicit. Quod senibus æque ac juvenibus Numburgensis cerevisia sola, vel aliis rebus congruis medicata aut analeptica reddita, conducat, supersedemus jam fuse demonstrare; quemadmodum etiam desistimus jam denuò repetere, quæ de vi commodè nutriendi eidem indita superius §. 10. à nobis tradita sunt. Non dubitamus insuper, quin ejusmodi paulò ante dicta labes & tabes, aut tartarea, calculosa atque arthritica mala varia, dispositione & culpâ hæreditariâ etiam in quibusdam hominibus latentia, deleri & in herba quasi suffocari possint, si his affecti Numburgum concedant, atque ibidem cerevisiâ, aliisque sanitatis illius loci commodis adminiculis utantur. Quemadmodum loci mutationem in istiusmodi ac aliis morbis chronicis & endemiis utilem sæpe esse novimus; de quibus inposterum commodiori occasione plura proponemus. Notamus insimul hoc loco, quòd cerevisia hæc appropriata atque congrua magis dictis iis atque aliis morbis variis domandis reddi possit, si recenti illi ante fermentationem certæ & selectæ herbæ ac species medicæ immittantur; veluti passim vulgò etiam mos ejusmodi usitatus ac notus est. Si quis verò modum præparandi varias istiusmodi medicatas cerevisias, paratu alias faciles, sine Medici informatione re-

scire

ſcire appetit, ei adminiculum patebit ex *Coleri œconom. rurali l. 2. c. 4. p. 24.* &c. *Stengelii l. a. cap. 11.* & *Knauſtini l. c. lib. 4. p. 66.* &c. Credibile omninò eſt, ejusmodi hæreditariæ variæ, paulò antedictæ labis mineram illo in loco eâ ratione infringi, & in meliorem conditionem immutari poſſe; quæ pro aliis atque aliis adminiculis inſalubribus diætæ & loci alicubi citiùs quandoque procul dubio evolvitur & augetur; veluti de hac materia inpoſterum forſitan etiam in peculiari diſſertatione pleniùs agemus. Fortean etiam chronicis & hæreditariis quibusdam malis affecti ſubinde levamen æquè invenirent à memoratis adminiculis Numburgi obviis, ac multi fruſtra in thermarum potatione quærunt; tacemus moleſtias varias, motus inconcinnos & pericula fortuitò in itinere ejusmodi longinquo ſæpe ad thermas iſtas tendentibus devoranda vel ſufferenda; unde non rarò etiam pro ſanitate ſperata ejusmodi homines pejorem ſtatum mortemq; ipſam ſibi accelerant. Miramur inſimul, cur à thermis quibusdam non deterreant multos iſti hauſtus inſignes, communi uſu & præceptis injuncti. Quis ſcit quid futurum aut expectandum eſſet à θερμοποσία cereviſiæ aut aquæ Numburgi aliquandiu continuata, in ejusmodi affectibus pertinacibus! Et eccur non deterrent peregrinos anhelantes aut accedentes ad quaspiam thermas, quidam degentes ac præſentes in hiſce locis miſerè affecti arthriticis malis & impotentiâ vel immobilitate artuum. Denique ut paucis adhuc Numburgenſem cereviſiam inſontem hæmorrhagiæ renuntiemus, non reminiſcimur Numburgi aliisve in locis ullum invaſiſſe frequentem aut moleſtum narium aliarumque partium profluvium ſanguinis, à ſolius cereviſiæ illius uſu vel potu.

§. 41. Audiendi jam nobis adhuc pauci ex pluribus autoribus reſtant, qui meliori experientiâ de cereviſia illa inſtructi & edocti meliori quoque nota eandem commendant; adeò ut jocus ille locum hîc ferè ſeriò inveniat, ubi quis Naumb. Bier notâ illâ vel ſigno NB. expreſſit. Inprimis verò,

verò, qui literis dediti sunt, notent sibi eam, vel similem cerevisiam congruam esse; & juvenes quidem ob calorem suum juvenilem, ac futuram nutriendi facultatem mediocrem sibi necessariam. Non spernant itidem illam ii literati, qui virilis sunt ætatis, morbisque tartareis, hypochondriaco &c. obnoxii, propter vitam suam sedentariam, aut hæreditariam dispositionem. Hi pariter in dicta cerevisia procul dubio levamen invenient propter ipsius facultates medicas, & tamen modicas simul, quæ propterea benè notari ac usurpari meretur. Talismodi potum literatis opportunum statuimus paulò pluribus verbis in *dissertat. de literat. potu*. *Simon Pauli l.a. p. 380.* Rostochiensem cerevisiam propter lupulum lienosis valde commendabilem renunciat, atque similem hanc medelam, propter lupuli aliarumque conditionum reserantium ac evacuantium adminicula Numburgensi potui hordeaceo denegare non possumus. Annectimus his non immeritò laudes ab aliis illi assignatas & Germanicô hoc rhitmô, ac tritô quasi evectas, nec non à *Knaustino l. a.* annotatas hoc modô:

Naumburger Bier
Ist der Thüringer Malvasier.

Si Salanæ nostræ Procerum ac Professorum Medicinæ scripta & disputationes replicare vellemus, non simplicem illius liquoris Cereris usum & æstimium in variis morbis consignatum & commendatum comperiremus; quibus tamen nostrum non est jam inhærere.

§. 42. Si quam laudem aliàs meretur cerevisia in Dania passim reperienda, juxta testimonium *Th. Bartholini in Medicina Danorum p. 11. & 12.* videlicet quòd vetusta & defæcata illa non alat tantùm, & nutriat, sed ventriculo robur etiam addat, præsenti plurimorum in ista regione morborum remedio. Porrò modò laudatus autor vult illam cerevisiam ab articulis podagram avertere, calculos expellere, & viscerum oppilationibus inservire, si absinthiô vel lupulo condiatur, eamque denique affectionibus internis &

externis instar balsami mederi, idque testari, ait, incolarum floridum colorem, formam elegantem & integram corporis constitutionem. De iisdem & aliis pluribus encomiis cerevisiæ Danicæ, & quòd continuatus hujus potus vino præferendus sit, utpote quod multis morbis ansam præbeat, idem autor *ibidem p. 160. &c. & 320.* disserit. Utut bonos hos effectus, nobis alioquin incognitos, in dubium non vocemus, nostræ tamen cerevisiæ toties decantatæ laudes istiusmodi derogare nemo facilè audebit, aut pollebit; uti partim ex præcedentibus innotuit, & palam ulterius fiet ex proximè sequentibus. Exaltari quoque vires & medicas magis conciliari posse variæ cerevisiæ, si huic indantur species aut medicamenta varia, non procul ab his antea indicavimus. Nihil prohibet etiam, quin Numburgensi hordeaceo potui ante fermentationem indatur Chrysanthemum latifolium, ut inde similis decantata cerevisia medicata fiat, ac illa quam voce Preußing appellari, ac per Europam venalem nec non usitatam dicit *Sim. Pauli (l. a. p. 258.)* ubi scilicet quis ex alto decidit, contusus aut ossa fractus, ut scilicet ab ejus haustu æger largiter sudet; Gedanenses quoque suæ cerevisiæ eum in scopum & ad dissolvendum sanguinem congrumatum herbam istam admiscere ex *Tabernæmontano* docet citatus *Pauli*. Efficacia Medica verò atque laus cerevisiæ Numburgensis simplicis experientiâ & Medicorum celeberrimorum suffragiô comprobata fecit, ut eadem pluries in remotis locis, scilicet Italia, Anglia, aliisque in regionibus deprehensa atque usurpata fuerit. Imò potus ille etiamnum à magnatibus, literatis aliisque hominibus propter certos affectus à se avertendos, & sanitatem conservandam in multis locis (etiam pluribus milliaribus distantibus à Numburgo) quotidie ferè bibitur. Proinde illa non immeritò in catalogo cerevisiæ bonæ variæ locum invenit; veluti ex *Mart. Zeileri cent. 2. Epistol. 18. p. 342. Henr. Knaustini l. c.* aliorumque autorum libris, & inprimis eorum, qui de cerevisia peculiariter scripserunt, passim constat.

§. 43.

§. 43. *Reusnerus* in carmine superiùs adducto memorat alvi profluviem vel proluviem (uti quidam legunt) procurare cerevisiam Numburgensem, cum quo conspirat etiam aliorum testimonium ab experientia non alienum. Sic Consul atque Physicus Numburgensium quondam meritissimus *D. Petrus Crusius apud Greg. Horstium in oper. tom. 2. l. 2. obs. 32. f. 203.* ita scribit: *In hydrope pro potu concessi cerevisiam Numburgicam, quæ quia multum nitri continet, potenter alvum & urinas movet, unde rariùs de morbis tartareis, ut sunt nephritis, calculus & podagra, nostri homines conqueruntur.* Quantum autem sanitatis adjumentum persentiscant, uti reliqui homines, ita præcipuè literati in diæta ordinaria, si binæ illæ excretiones ritè succedant, & alvus præcipuè decenter laxa sit, nostrâ & aliorum experientiâ Medicâ atque privata confirmare valeremus, si opus foret. Literati quippe facile adstricta alvô laborant; & juvenes quidem primò, quia humidum à colore illis insito & forti, vel aucto ab exercitiis in iis facilè dissipatur. Adulta item literatorum ætas sedentariæ vitæ dedita motuque sufficienti destituta alvi tenacitatem non raro contrahit & fovet; idque multò citiùs, si quis sufficientem atque congruentem potum non admittat. Tacemus hypochondriacum malum, tum propter alvum difficilem, tum alias causas plures illis magis frequens ac molestum, unde literis dediti potu ejusmodi salubri dictis viribus instructô ac sufficienti opus habent. Veluti horum uberiorem mentionem quoque fecimus in *dissert. de liter. potu c. 2. §. 36.* &c. *Matthiolus apud Cratonem in Consil. med. 182. f. 518.* de literato quopiam vitæ sedentariæ addicto, & ideò inter alia hypochondriacô morbô affecto agens annotat, quód ille levatus fuerit alvi subductionibus; eidem autem *Matthiolus l. a. f. 524.* dissvadet cerevisiæ potum, cum illam arbitretur generare sanguinem crassum ac turbidum; verùm istud à triticea vel alia crassa & forti cerevisia citiùs quàm à Numburgensi metuendum est. Hanc enim adminiculis cæteris curationis non sepositis, magnum levamen suggerere confido, propter

laxantem aliasque vires reſerantes plures, morbi illius curationi congruas; ſi ſcilicet cereviſia illa decenti modo & quantitate ſufficienti bibatur.

§. 44. Hæc autem cereviſia neutiquam eſt metuenda vel fugienda propter inſitas illas, atque hactenus dictas facultates medicas, ac ſi propter has alia mala iſta corpori adferat; cùm conſtet quòd minimè ciborum digeſtionem legitimam, ſanguificationem item & nutritionem turbet. Nitroſâ ſuâ blandâ poteſtate conceſſa inſuper cerealis ille potus ſanguinem & ſerum non permittit in tartaream, calculoſam, muriaticam aut aliam ſimilem vitioſam materiam concreſcere aut mutari, quæ aliàs obſtructionibus, tumoribus, doloribus & aliis malis contrahendis moram & anſam ſubminiſtrat. Hac itaque poteſtate, nec non ſuâ vi diuretica magnam & ſalubrem vim largitur eadem cereviſia, quòd à nobis antea laudatus *D. Cruſius l. a.* rectè monet. Non multùm à ſententia modò adducta recedit *Val. Andr. Mollenbroccius de Arthrit. vag. ſcorbut. c. 12. p. 190.* Cereviſia Neoburgenſis, ait, quæ ob aquam, ex qua coquitur, ſalia martialia & multum nitri continet, unde alvum & urinam potenter movet; hinc Numburgenſes raro de tartareis conqueruntur morbis &c. Utrum juxta *Helmontium* cereviſia tenuis pernoctata vim majorem pellendi urinam acquirat ignoramus. Communiter tamen Cereali liquori omni tribuitur facultas diuretica, quamvis altera citiùs (& ſine majori moleſtia, ſcilicet ſtranguria &c.) eandem exſerat quam altera; quâ bonitate tuta non caret Numburgenſium hordeaceus potus.

§. 45. Salia neutra verò alioquin (quale quid Numburgenſi cereviſiæ ineſt, uti præcedentia hoc dilucidant) apta ſunt ad incidendum mucum variarum partium, & ſic etiam meatuum geminorum præcipuorum excretionibus dicatorum; ſtimulant inſimul eadem partes illas ad excretiones: veluti tartarea medicamenta, cremor ſcilicet, acidum illius, arcanum & terra foliata 🜿ri, 🜿 🜖latus, item 🜕, aut 🜕 ♁iatum, ac ſpiritus mineralium; & quidem magis acidi hi

exi-

existentes diuresin citius, priora verò salia & spiritus neutri catharsin & diuresin adjuvant. Ideoque etiam istiusmodi medicamenta neutra (acida puriora enim purgantia plurima figere magis videntur) purgantibus admixta faciliorem ac feliciorem operationem impertiunt; quod promtius etiam ⊕ ♁tum efficit. *Matth. Tillingius de recidivis c. 25. p. 458.* pro recidivis curandis in diæta inter paucas alias Numburgensem cerevisiam in fronte ponit. Nec irritâ intentione id fieri credimus; siquidem morbi facilè recidunt in primum locum & statum corporis, si non funditùs illorum minera evacuationibus sufficientibus (etiamsi clandestinis, aut in sensus non adeò semper incurrentibus id fiat) eluatur aut exturbetur. Quòd & quomodo verò evacuationibus blandis cerevisia isthæc inserviat, sufficienter, uti arbitramur, hactenus exposuimus; ideoque illam etiam in multis recidivis, vel harum aversione, (inprimis quando excretiones non succedunt) commendamus; plura interim de morbis istiusmodi revertentibus in commodiorem locum differentes.

§. 46. Posthæc de salubritate laudati Cereris liquoris, ut & causis hujus à mineralibus profluentibus agit etiam politissimus quondam inter Celebres Lipsiensium Medicos, maturâ admodum morte publico commodo subtractus, videlicet *D. Christ. Langius in Genio Thermarum c. 2. §. 89.* &c. Inter alia plura verò autor laudatus illic de Numburgensi tractu, mineralibus variis fœto declarato (quamvis nobis non constet de quopiam peculiari vel notabili minerali hactenus illic observato) differens, iis tribuit etiam sequens negotium. Tritô scilicet vernaculô nota ac obvia observatur tempestatum ac procellarum divulsio atque separatio, die Wetterscheide: quâ scilicet fragor & tonitrua in nubibus concurrentibus & collidentibus solvuntur, ac postea componuntur, vel evanescunt. Locum autem hunc non procul à Cusna Kösen/ propè cœnobium vel scholam Electoralem Saxonicam Portensem ostendunt; ubi etiam pons ille, quô strato Salam trans-

transſcendere licet, nomen à Cuſna ducit, ac dicitur die Köſniſche Brücke. Præterea laudatus *Langius* innuit tractum illum, qui cingit Numburgum, prodere ſalia vel latentes mineras propter colorem terræ, vel montium, horumque lapſum aut motum aliquem aliquando illic annotatum; quem tamen crebrò illic obſervatum, non recordamur nos uſpiam legiſſe, audiviſſe aut expertos eſſe. Tandem idem allegatus *Langius l. c. §. 99.* pergit: cognoſcat hinc lector curioſus decantatiſſimam cereviſiæ Numburgenſis virtutem, quæ ut hactenus à poſteriori eam laudantibus vel uſurpantibus non fuit ignota, ita ut à priori quoque omnibus ſit nota jam, præmiſſa inveſtigantibus. Ergò ante oculos nunc eſt, cur incolæ Numburgenſes & eorundem adcolæ calculoſo & arthriticô cruciatu non tam frequenter, imò rariſſimè adficiantur, quàm aliorum locorum inquilini. Nos ſane non miramur, cum uti jam declaravimus illi familiariter cum cibis & pro potu his utantur aquis probe reſolventibus &c. hactenus citatus *Langius.*

§. 47. Sublevat itaque dicta cereviſia inquilinos Numburgi inprimis à malis arthriticis, ſcilicet podagra (quod etiam teſtatur *Juſtus Stengelius l. a. cap. 9. diſſertatio allegata de Braxatione* aliique autores plures) chiragrâ item & calculô; atque ſic non relinquit palmam Perſiæ, quæ incolas ſuos dicitur non pati calculô vel podagrâ infeſtari, idque propter vinorum Schiraſticorum uſum, juxta ſententiam *Olearii in Itinerario Perſico,* veluti colligimus ex *Mœbii Inſtitut. Med. p. 516.* Non cedit quoque cereviſia eadem effectibus herbæ vel decoctæ Theæ, quod Sinenſes pariter non permittere dicitur podagra laborare; utpote quod ultra modum ſanguinem purificet, partim per ſudorem, partim per urinam, de quo Excell. *Paul. Ammanus de mater. med. p. 65.* &c. Sed de Japoniorum ac Sinenſium potu in *diſſertatione de literatorum potu c. 2. §. 30.* plura monuimus. Quantumvis aliàs cereviſia omnis ferè, aut quæpiam ſolùm certorum locorum in podagra ſuſpecta cenſetur à quibusdam medicis, uti claret

ex

ex *Mart. Schoockii de cerevisia c. 45. p. 383.* & *Tob. Dorncreilii medulla prax. l. 1. c. 17. p. 137.* id tamen, uti hactenus explicavimus, de Cereali Numburgensium potu intelligendum vel metuendum est minimè.

§. 48. Hamburgensi cerevisiæ easdem (& pene majores nec non ad omnes morbos utiles vires) ac Numburgensi quidam tribuunt; quod tamen non ita, vel saltem citiùs de antiqua, nec moderna illa cerevisia admittit cum *Placotomo* citatus *Schoockius l. a. cap. 43. p. 375.* Raro equidem Hamburgi degentes & cerevisiam illius loci bibentes podagrâ vel arthriticô morbô affici; catarrhô tamen asthmate & renum morbô nonnunquam infestari scribit *Henr. Ranzovius de conservanda valetudine cap. 8. p. 33.* Plurimi quoque autores vires ipsius cerevisiæ exponentes tradunt, quod faciei ruborem vel guttam rosaceam inducat iis, qui paulò largiùs istam bibunt; veluti hoc ex *Joh. Coleri œconom. rural. l. 2. c. 4. p. 23. Jac. Theodori herbar. l. 1. c. 20. f. 662.* aliisque pluribus autoribus constat; atque sic hæc cerevisia vini, spiritus vini, aliusve potus generosi qualitates atque effectus quadantenus æmulatur, à quibus aliàs faciei status iste, aliaque incommoda plura metuenda emergunt; nisi moderatus illius usus metum hunc excutiat. Sed pluribus id pervestigare supersedemus, cùm de talismodi cerevisia recordemur nos in præcedentibus, scil. §. 7. egisse. Non erubesceremus interim medelam potiùs quærere, & nobis promittere contra dictum ruborem in obscuri coloris cerevisia Numburgensi delitescentem. Porrò sine dubio Numburgensium potus cerealis, quia calculum, tartaream ac tophaceam Arthriticorum morborum mineram arcet ac imminuit, in similis originis aliis malis itidem salubris declarandus est. Sic minùs coactè forsitan illi propter hanc aliasque plures facultates notas applicabimus verba *Fort. Fidelis in Relationibus med.* (quæ fictum titulum etiam paucos ante annos induerunt, & cô à quibusdam ignaris confidenter allegantur, scilicet *consultationum Thom. Reinesii*) sunt, inquit, aquæ frigidæ nitrosæ, quæ per alvum purgando etiam strumas imminuunt.

§. 49. Gratulantur ſibi ſæpè alioquin loca varia, & Academiæ quæpiam de certis quibusdam prærogativis, inter quæ plura alia non parum etiam excellit loci noſtri montibus cincti ſalubris conditio, & potus inprimis varius ſanitati non offenſus; veluti etiam potu cereali Numburgenſi quivis facili negotiô ac pretiô potiri poteſt. Illius verò magna quantitas quovis anno apud nos conſumitur, non ſine multorum ſanitatis corporisque tranquilli ſtatus adjumento. Non minùs eadem cereviſia aliis locis multis ſuadenda foret, quâ propter levicula impedimenta vel cauſas interdum privantur. Iis autem, qui ſtudiis navant operam, apprimè utilis eſt, ille (atque ſimilis mediæ conſtitutionis) liquor Cereris, veluti hoc & ipſius rationes pluries indicavimus. *Mart. Schoockius de cereviſ. c.46. p.392.* queritur de cereviſia ſecundaria & cibis crudis minusque accuratè coctis, quibus ſubinde ſtudioſa juventus alitur (principum aliorumve liberalium munificentiâ) in convictoriis vel contuberniis publicis Academiarum vel Scholarum; unde valetudinis diſpendium omninò metuendnm, atque eidem è contrario proſpiciendum foret præcipuè de ejusmodi ſalubri ac mediocri laudata cereviſia, videlicet non nimis forti vel generoſa, nec nimis ſegni; de quo ſi plura placent reſcire, iterum *diſſertatio noſtra de literator. potu §. 20.* &c. evolvi poteſt.

§. 50. Laudat aliàs in morbis acutis cereviſias tenuiores *Helmontius de vict. ration. §. 22.* cum quo conſpirat etiam laudatus *Schoockius l.a.p. 305.* Subſcribit eidem ſententiæ non invitus *Vit. Riedlinus in Obſ. Med. cent. obſ. 57. p. 131.* autor hic illic etiam arbitratur, quòd mulier quæpiam petechiali febre laborans, ac minùs congruæ cereviſiæ magnam quantitatem ingurgitans viventium cœtui ſubtracta ſit; quod fortè à copia & frigiditate cereviſiæ citiùs, quàm à temperato ejusmodi potu cereali, in febri ejusmodi dubii communiter aliàs ſtatus, accidit. Cæterùm hordeaceum etiam potum triticeo præfert, eumque in febribus ac morbis acutis rationibus certis permotus ſuadet *Hier. Mercurialis in prælect. Boni-*

nonienſ. f. 499. De quo etiam *Dan. Sennertus de febr. l. 2. c. 9. p. 143.* Adductis his addimus, quòd in febribus, præter ſubdulcem & acidiuſculum ſaporem potus, utplurimum ſimpliciſſimus, nec multis qualitatibus ſapidis præditus expetatur; de quibus iterum non nulla continentur in *diſſert. de literat. potu c. 1. §. 22.* &c.

§. 51. Conſtat alioquin, quòd in febribus aliisque morbis multis facilior reddatur curatio, ſi duæ frequentiores illæ evacuationes corporis, ſcilicet alvi atque urinæ, vel ſponte vel aliô leni diætæ adminiculo ſuccedant; Sic enim à centro & nobilioribus partibus morbificæ materiæ portio demitur, & ad ignobiliora loca pedetentim derivatur. Imô ſi non ſuccedant evacuationes geminæ iſtæ, vel aliæ commodæ, morbi facile protrahuntur, aut recidivi fiunt, veluti paulò ſuperiùs §. 45. hujus quadantenus mentionem fecimus. Huic verò ſcopo ſi alterans, lenis ac ſalubris potus cerealis ordinarius inſerviat, nil commodius pro ægrotorum curatione leviq; nutritione expeti poteſt. Talismodi evacuationes neceſſarias ſubinde Medicus etiã ſtratagematibus vel indirectè intendere tenetur, ac obtinere poteſt, quando immorigeri, moroſi, timidi aut ultra ſuam ſortem ſapientes curandi ſunt: dum ſcilicet hi modò hanc, modô illam ſeri evacuationem neceſſariam admittere detrectant, & jam virium jacturam, jam aliud quid mali futurum inde verentur. Quando itaque iſtis non ſemper obloqui vel refragari licet, propter confidentiam & reliquum obſequium eorundem captandum, medicamentis ordinariis ♁ata, ſcil: ♁ diaphoreticum, Bezoarticum minerale, vel alia ſimilia diaphoretica & tuta ex ☿, ♁, aut cinnabari varia præparata admiſceri poſſunt: utpote à quibus ſimul alvus non facilè ſubſidet aut obſtruitur. Interim confortantium vel aliorum medicamentorum, auditu magis gratorum, titulis vel inſcriptionibus opus habent Medici, quibus inſigniant medicamenta illa propinanda, ut eadem ſuffurentur iſtis ſordes ſuas morbificas ac rebelles, in corpore adeò

studiosè vel meticulosè, minus tempestivè tamen, ab illis sæpe custoditas. Atque istô modô Medicus legitimè & citra scientiæ atque conscientiæ labem mirabilia ægrotantium quorundam capita fallere & πολύμορφον se gerere debet, de quo nos alio loco forsitan plura sistemus.

§. 52. Non displicet itidem nobis in febribus usus fructuum quorundam acidiusculorum, aridorum tamen & variô modô in usum admissorum, loco carnis variæ & jusculorum coctorum ex eadem, pro refectione à quibusdam, adeò commendatorum & vulgò approbatorum; in quam sententiam nos deducit *Zwolfferus in Pharmacop. Reg. p. 226.* &c. Abeunt quippe ex carne parata (propter symbolum propinquius) citiùs in humanam & morbificam constitutionem, quàm fructus: quos itidem non adeò, quàm cibos istos plurimi ægroti aversantur. Fructus autem ejusmodi, videlicet pruna rotunda acidiuscula & alia, cerasa item ac cæteri fructus acido-dulces præbent quasi julapia sicca, uti & humida postea educta ex iis, si coquantur; qui fructus alterandæ materiæ febrili ac infringendis symptomatibꝰ quibusdam non inepti, nec ægrotis, uti diximus, ingrati existunt. Siti enim & calori resistunt, nec nõ languenti appetitui ventriculi resuscitando succurrunt; prospiciunt itidem iidem corpori de geminis potioribus evacuationibus dictis, scil. diuresi atque alvi laxitate. Porro cum ejusmodi fructuum jusculis vel brodiis sæpe etiam panis arridet palato, vel alii cibi iisdem conditi. Meditentur interim curiosi, cur febribus detenti adeò carnis usum odio prosequantur atque acidiuscula & subdulcia expetant; Cæteris itaque paribus, & non neglectis curationis circumstantiis, mediisque necessariis in febribus multis non temnenda esse acida opinamur. Elegantem & uberius explanatum hanc in rem locum lector benevolus de succo limonum, varios ob effectus proficuo in febribus, reperiet apud *Guil. Pisonem in histor. natur. & med. l. 5. c. 20. f. 315.*

§. 53.

§. 53. Hactenus memoratis scopis curationis in febribus attendendis non parum etiam inservit cerevisia Numburgensium, cujus saporem si quis non nauseat, minùs temnendos effectus ab eadem capiet. Promittit enim bonum successum nitrosa ipsius qualitas & inde dependentes facultates à nobis indicatæ §. 44. &c. In quam rem facit quoque ventilata & plurimùm approbata quæstio in *Plegni Zodiaco Medico-Gallic. Anno. 2. qu. 15. p. 23.* an aquæ minerales sint febrifugæ. Strignicensem cerevisiam aliàs propter terram salubrem illic obviam, (quæ sigillatæ notæ materiam præbet) laudat pro pestis præservatione vel aversione *Joh. Colerus in œconomia rural. l. 2. c. 4. p. 23.* Interim si ad effectus salutares Numburgensis cerevisiæ atque operandi modos hactenus perlustratos respicimus, nihil dissuadet in peste quoque ipsius usum. Sic Excell. *D. Gunth. Christoph. Schellhammerus in diss. med. de peste habita Helmstadii 1682.* disquirens de cerevisiæ variæ conditione, & quæ in peste commodè usurpari possit, rejicit Breihanum atque sic porro concludit: Cerevisia lupulata non sit crassa aut caput feriens, gravansque ventriculum, qualis est mumia Brunsvicensis; sed tenuis ac mitis, facilè transiens, in quibus eminet in Misnia Naumburgensis, ob omnes illas dotes celeberrima, quæ sine dubio in peste maximè omnium convenit.

§. 54. Quæri forte etiam posset hoc loco, utrum hactenus à nobis commendata cerevisia etiam tutò usurpari possit in dysenteria, diarrhœa, vel aliis fluxibus alvi. Proinde in hanc quæstionem allegare nobis libet *Mœbium in instit. med. p. 194.* Cerevisia Numburgensis, inquit, ut & aliæ ex aquis mineralibus coctæ, sæpius in iis, qui facilioris sunt alvi, vitiosos commovent humores, & salubrem diarrhœam excitant. Atque ea quidem laxandi potestas salubris plurimos beat eventu non evanido, utpote qua in tempore vitiosi humores è corpore educuntur, qui subinde morbidis vel symptomaticis alvi fluxibus ansam præbere pollerent, aliosque

ſuo contagio polluere valerent. Perrarò autem Numburgi dyſenteria vel alii alvi enormes fluxus obſervantur, niſi fortè contagiô quopiam epidemiæ dyſenteriæ illuc transferantur, victuve inordinatô in autumno (quod admodum rarò tamen etiam contingit) excitentur ac propagentur. Addo his inſimul, quòd cauſa dyſenteriæ non ultima fortè in humoribus eorumque vaſis delitеſcat, unde in correctione eorundem ad diaphoreſin præcipuè, aut ſi non omnis, non ultima tamen curationis ratio & intentio dirigenda eſt; & ad hæc quidem citiùs, quam ad ſtyptica nuda. Iis itaq; ritè obſervatis, & ſi tandem terra ſigillata, C.C. uſtum, aliaq; ſimilia congrua cereviſiæ huic addantur, metus exſulat. Sic acaciæ Germanicæ ſuccum cereviſiæ vindemiarum tempore inditum gratum ſaporem, vino vetuſto rubello minùs cedentem, & vim adſtringendi alvum, & roborandi ventriculum conciliare innoteſcit ex *Sim. Pauli quadr. Bot. p. 13.* Idem illud cereviſiâ Numburgenſi, aut ſi aliis rebus medicata vel congrua magis in alvi fluxibus redderetur, tentari poſſet. Vel ſola etiam illa ſine magna ſuſpicione admitti poteſt pro potu; modò non recens, fæculenta, frigida & copioſa illa bibatur. Accidit quibusdam ſubinde, qui peregrè adveniunt Numburgum atque illam cereviſiam unô vel alterô die bibunt, ut non ſtatim vim ipſius decantatam laxantem perſentiſcant: Id verò inde oriri credimus, quòd vel ſudore largô in itinere profuſô, vel evacuatô rore corporis per inſenſibilem transſpirationem, poſtea vaſa depleta, humidam potus materiam promptius ex inteſtinis abſorbeant vel arripiant, unde alvus laxa non ita obſervatur ab ipſius cereviſiæ ſurrepto potu; veluti metaſtaſes ejusmodi aliæ variæ humorum in Medicina non ſunt ignotæ. Atque eâ ratione fallacia ſecundum quid occurrit, dum cereviſia hæc minùs laxare, ſed obſtruere alvum magis videtur, veluti paulò poſt aliud ſimile quid §. 56. examinabimus.

§. 55. Multi autores etiam in colica proſcribunt cereviſiam variam, vel omnem propter ejus potentiam in flatus pronam; verùm non veremur itidem credere, quòd colicæ varia adminicula tum à cibis, tum ab humoribus corporis vitioſis (partim in inteſtinis ortis, partim verò ab aliis partibus ad hæc devectis) orta tempori iterum Numburgenſis cereviſiæ uſu corrigi & ex corpore eliminari poſſint, propter dictas evacuationes, ne colica ab eadem multum metuenda ſit. Non recordamur inſimul inſigniter moleſtam eſſe colicam labem inquilinis Numburgi: norunt præterea praxin medicam exercentes, quod obſtructio alvi ſæpe juncta ſit colicæ paſſioni dictæ, quam ſi non in curatione ſimul reſpicit Medicus, parum ſæpe proficit. Proinde carminantia cum incidentibus & laxantibus non diſſvaderemus in eodem affectu, veluti etiam pro pharmaco vel potione calida & clyſtere cereviſia illa admitti poſſet. Non æquè verò ſuaderem in colica aliam paganam cereviſiam minùs coctam, aut alias propter vitioſas qualitates ſuſpectam, cujus mentionem ſupra §. 17. quadantenus injecimus. Dehinc frigidus & copioſus potus quicunque poſt pingues cibos præcipuè fugiendus eſt, cùm multi colicam ideò facile contrahant, quæ fortior quoque metuenda eſt à malæ notæ ejusmodi pagana cereviſia.

§. 56. Præterea non eſt tanti momenti objectio quorundam, ut quis frigiditatem potentialem in cereviſia noſtra laudata vereatur eamque averſetur; cum glaciem in corpore minimè generet, vel partes ullæ inde congelaſcant. Quòd verò quipiam arbitrentur ventriculum propter ipſius frigus lædi, & vino interponendô opus eſſe in illius potu ordinario, quo ſcilicet frigus ejus ventriculo moleſtum corrigatur; illud ita intelligendum eſſe ſciant ii, qui hujus ignari ſunt. Adultæ quippe & virilis inprimis ætatis homines, qui non aſſeverunt cereviſiæ illius uſui ordinario, præcipuè ſi antea calidam magis vel generoſam cereviſiam biberunt, iis ventriculus inde quadantenus languere videtur, præcipuè ſi frigi-

dæ ipsius haustus largi admittantur, aut si aliis potulentis ac esculentis in conviviis ventriculus sit adimpletus, aut ventriculi adsit debilitas, ob vitam sedentariam aliasve causas plures. Neutiquam tamen hoc iis evenit, qui assvescunt continuo & ordinario, non tamen immoderato illius ceralis potus usui. Eloquantur hanc in rem suam sententiam & experientiam infiniti juvenes, quos studia juvant vel recreant hac in Salana, nec sileant alii plurimi eruditi adulti atque alius sortis homines effectus à cerevisiæ hujus non infrequenti usu sibi notos! Meliora omninò judicia nobis pollicemur, non attingentes vel examinantes id prolixiùs, quòd juvenibus vel studiosis literarum aliisque hominibus, calidâ aut ad tabem inclinante constitutione præditis egregiè congrua sit ea ipsa, uti pluries in præcedentibus hoc inculcavimus. Deinde quòd hactenus dicta à nobis, non aliena sint à veritate, comprobant Numburgi incolæ infiniti, qui neque ventriculi neque aliarum partium frigus aut languorem ex cerevisiæ suæ usu ordinario & non immedico pertimescunt aut persentiscunt. Non indigent itidem iidem inquilini vini potu corrigente cerevisiam suam, siquidem etiam illud omnes tenuioris conditionis homines propter egestatem redimere ac bibere non valent, uti facilè cuivis notum est; taceo quòd à secundaria cerevisia etiam pauperes illic nihil illius mali experiantur.

§. 57. Si inquiramus in ventriculi coctionem vel constitutionem legitimam, erudiunt nos modernæ Medicinæ principia, quod non à calore simplici potentiali atque actuali proficiscatur ventriculi coctio & chylificatio; siquidem constat, quod ferrum non adeò ignis, quàm acidiusculus ventriculi humor consumat: uti σιδηροπεψία Struthio Cameli, vel aliarum avium & animalium potens ventriculi digestio comprobat. Porrò frigus moderatum & vehemens sæpe non obest actioni vel coctioni ventriculi multorũ animalium, siquidem etiam conchis, testaceis animalibus ac reptilibus vel insectis,

ac

ac piscibus parum inest caloris, veluti iisdem brutis æque ac aliis plurimis parum cibi vel potus calidi porrigitur; nec tamen ventriculi labor aut actio læsa admodum iis inde oritur, uti non nihil in hunc modum disseruimus *dissertat. de literatorum potu c. 2. §. 24.* &c. Ventriculo itaque propria, specifica & peculiaris est ejusmodi actio cibos digerendi, quam etiam dilucidant quadantenus medicamenta & alia adminicula juvantia eandem; scilicet siccantia, acidiuscula, austera, (& talia interdum amaricantia, non alia tamen indifferenter omnia) item acria & spirituosa sulphurea &c. Destruunt verò ventriculi tonum & officium nimia humida, pinguia, purgantia, salina, alkalia & biliosi humores. Sic in febribus & æstate, languet ventriculus, sine dubio ab humoribus bili analogis magis tunc temporis obviis vel auctis; nec hyeme à frigore ventriculus debilior redditur, quæ probatione non indigent. Ætiologiam autem istam, quâ veteres in æstate ventriculum frigidum, in hyeme verò calidum declararunt, jam attingere supersedemus, cùm non ignotam eandem credamus. Non reluctari itaque illam cerevisiam ventriculo ipsiusque chylificationis & subsequentis nutritionis negotio (si sine excessu quopiam frigidi, copiosi aut intempestivi usus bibatur) autorum quorundam testimonia in præcedentibus adducta confirmant, nec experientia iisdem reclamat.

§. 58. Deinde inficiari non audemus, quod à commixto largiori potu hujus cerevisiæ & vini in conviviis major nausea & vomitus citiùs concitetur, quàm à solo vino; quod à quacunque cerevisia alia pariter metuendum est. Quantumvis autem alias major meri quantitas, & citra nauseam in ventriculo subsistere aut contineri possit, si in conviviis magnis certandum est culullis, illud vinum tamen postea in vasa absorptum mala varia minatur. Cerevisiæ verò potus, vel nigra litera albæ, scilicet vino interposita, (juxta potatorum loquendi formulam) supernas & infernas excretiones

gemi-

geminas citiùs promovet, atque sic brevi quapiam molestia, hic geminus usus mixtus antevertit incommoda à vini solius potu alioquin in corpore diutius asservari metuenda. Istiusmodi in finem quidam etiam utuntur pilulis variis laxantibus ante poculorum certamen, de quo *Salmuthius cent. 3. obs. 44. p. 133.* Veluti eundem in scopum quoque nonnullos pilulas Glassianas commendare atque usurpare novimus. Sic olim etiam eam ob intentionem inter alia promulsis præbitionis, & lactuca antecœnii loco convivis oblata fuit, quò excretiones promoverentur, de quo *Jos. Laurentius in Polymathia l. 1. diss. 7. f. 17.* &c. Nihil memorabimus jam de herbæ Theæ essentia, infuso, aut decocto, quod contra ebrietatem munire atque urinam simul movere dicitur. Sed de his quibusdam & de crapula deteriori à cerevisia quàm à vino, juxta quorundam mentem declarata in *dissertat. de literatorum potu* egimus.

§. 59. Pro luce majori hactenus dictorum citamus iterum *Isaac. Schoockium in cent. problemat. histor. Med. Physic. problem. 14. p. 13.* Ventilat autem ille hanc quæstionem: cur, qui molestias sentiunt à crapula cerevisiaria, sibi medicinam facere soleant superbibendo spiritum vini, quem vulgò vinum adustum vocant. Similiter docet *Bald. Ronsseus in Epist. med. 64. p. 223.* momentum spiritus vini sublimati jejuno stomacho sumptum vini molestias à pridiana crapula corpori contractas corrigere. Quòd verò ventriculum hactenus dictus spiritus corrigere & corrugare, vel veterũ loquendi modô calefacere polleat credimus, qui languidus flaccidus & frigidus quasi, suiq; muneris immemor antea erat, propter molestias à potu in eundem redundantem. Sic purgantia medicamenta ventriculo alioquin ingrata, illumque turbantia, uti & vomitoria medicamenta nonnulla infringit quadantenus spiritus vini, ac potentiùs acida. Tacemus quod in dictis evacuationibus enormibus cum non nullis morbis se jungentibus sæpè auxilio sint bina dicta, scilicet spirituosa

atque

atque acida. Verùm utrum dictus spiritus vini, & largior quidem hujus usus, adeo pote auxilium sit reliquo corpori vinô adimpleto, si crapulæ exilium in eodem quæratur, vix credimus; modò non exitium sanitatis inde aliud insimul resultet. Sed attingimus hoc quadantenus, ubi de *pilis caninis*, vel novo potu largo crapulam priorem, juxta quorundam opinionem, discutiente egimus in *dissertat. de literator. potu c. 2. §. 56.* Ex eodem loco etiam innotescet *Sennerti* sententia & consilium, quod modicus vini usus crapulæ hesternæ molestiam quadantenus corrigat.

§. 60. Pro defensione cerevisiæ Numburgensis hactenus suscepta relabi adhuc semel tenemur ad *Reusnerum*, qui scribit quod ab eadem cerevisia

Ægrifici ventris cedat & omne malum.

Sic à cerevisia Numburgensi materia vitiosa ac biliosa in corporis recessibus stagnans, & ructus aut insultus ventriculi vel choleram minans & excitans, si scilicet ad ventriculum vel intestina labatur, illa inquam materia partim corrigi prius, partim etiam ante istam tragœdiam è corpore maturè extrudi potest vi cerevisiæ laxante. Hac itaque ratione abundè innotescit, quòd cerevisia ista ventriculo non multum molestiæ vel negotii facessat. Alioquin moderato etiam vini usui non ineptè potus cerevisiæ mitis alius, & Numburgensis inprimis, admisceri potest, veluti postremam hanc etiam in conviviis adeò communiter sub vini & nicotianæ usu expeti his in locis diximus, in *hac & de literatorum potu dissertatione c. 2. §. 88. Mart. Schoockius de cerevis. c. 47. p. 395. & 396.* usitatam quibusdam parodiam allegans, qua statuunt:

(Interpone tuis interdum biria vinis)

non dissvadet item vini potui interponere tenues cerevisias, minus autem fortes; cùm aliàs etiam pro vini robore frangendo à quibusdam aqua eidem admisceri soleat. Si quis

 verò

verò tandem certò comperiat iteratâ experientiâ, (nec mancâ, antea à nobis impugnatâ, aut οἰνομαντία abreptus & deceptus) quòd sibi minùs apta existat illa vel alia cerevisia, ei illam neutiquam obtrudemus; veluti aliquoties in hac & in altera nostra dissertatione allegata indicavimus, quòd quilibet, juxta *Syracidis c. 38. v. 1.* &c. probare debeat, quæ corpori vel ventriculo suo congruant. Medicus quippe à priori non omnium naturam unico modulo vel regulæ aptare potest. Proinde etiam nostra facimus verba *Bordingii in methodo ad Galeni libros de tuenda sanitate c. 9.* In usu cerevisiarum, inquit, cujusque natura exploranda est, atque ea offerenda, quâ quisque maximè delectatur ac minimè læditur.

§.61. Deniq; etiam usum externum cerevisiæ Numburg. præterire siccô pede nolumus, quem æquè, ac alius variæ cerevisiæ ab autoribus quibusdam laudatum, haud vanum fore opinamur. Sic non dubitamus eam cerevisiam vi blanda molliendi, resolvendi & aperiendi præditam atque congruam esse, si hæc cum aliis emollientibus cataplasma, fotum balneum, aliasve similes formulas constituat aut subeat. Hinc in tophis & tumoribus variis, etiam tartareis ac scorbuticis, uti & podagra, ischiatico malo, nephritide &c. utilem illam ducimus. *Sim. Pauli in quadr. Botan. p. 380.* Lupuli flores pro vario externo usu commendans sic concludit: Imò, inquit, recordor paroxysmum podagricum mitigatum hujus usu, dum quidam æger fotu lupuli, simul ac cocta erat cerevisia, pedes foveret. Idem hoc majori confidentiâ lupulô Numburgi collectô post cerevisiæ coctionem, aut recentibus etiam floribus cum Numburgensi cerevisia aliisque rebus pluribus congruis mixtis atque coctis tentari posset in doloribus variis. Non male item pro gargarismatibus eadem admittetur, si cum lapide & herba prunellæ aliisve similibus leviter ebulliat. *Simon Pauli l. c.* annotat Rostochiensis cerevisiæ crama in raucedine alicujus aphoni penè exi-

existentis profuisse. Non diffiderem jusculа ex Numburgensi cerevisia, vitellis ovi, saccharo aliisque congruis rebus facta, æque salubria, ac illam cerevisiam in dicto affectu futura esse. Præterea clysteres emollientes, laxantes, & carminantes cum aliis, in scopos hos collimantibus, vel solô etiam melle aut saccharo Thom. additô, facile confici possunt, si quis iis indiget. Externè quoque præterea pro lichene & asperitate, aliisque cutis quibusdam vitiis corrigendis eadem locum invenire potest; uti & in tabe, si balnei vel linimenti in forma cum aliis adhibeatur. Et hæc de cerevisia Numburgensi prolata jam sufficiant, quibus inposterum forsitan alia plura accedere possunt, tum quæ hanc, tum aliam cerevisiam concernunt. DEO tandem sit laus & gloria in sempiterna secula; quo suspiriô his jam imponimus

FINEM.

Errata.

Pag. 5. lin. 15. leg. canente. p. 7. l. 14. Conringii. p. 18. l. 12. deleatur: aut. p. 28. l. 24. pronos. p. 32. l. 2. post sensim: privet, aut illum. p. 36. l. 25. vellicatur. p. 46. l. 28. decocto. p. 52. l. 9. pro hæc leg. hanc. p. 53. l. 31. assveverunt. p. 54. l. 5. cerealis. ibid. l. 18. immodico.

DUm Patriæ Zythi propinas pocula doctis,
Apprecor ut multis prosit id atque Tibi.

Paucula hæc Doctissimo Dn. Respondenti cum voto studiis ipsius apprimè dicato apponit

PRÆSES.

Gut-

GUttura cum rapido nunc ſtringat ſolis in æſtu
ſicca ſitis, nec ſit quo medeamur ei.
En validum nobis Medicus medicamen adaptat,
hocque malum ſcitè pellere fauce docet.
Scilicet in coctâ Cerere eſt tam vivida virtus,
quam doctâ Numburg arte parare tenet.
Hujus ſcrutando vires, doctiſſime PRETTEN,
nobilis ingenii robora quanta probas?
Gratamur ſpecimen: Felix! cerviſia proſit;
nec turbet ſenſus: Præmia magna feres.

In honorem Nobil. atque Præeximii DN. RESPONDENTIS paucula hæc adjecerunt

COMMENSALES.

